



Disputatio juridica inauguralis de legibus divinis et humanis

<https://hdl.handle.net/1874/291126>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
LEGIBUS DIVINIS ET
HUMANIS.

QUAM,
ADSPIRANTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

JOANNIS DAVIDIS HAHN,

Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices experimen-
talis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus &
privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit,

JOHANNES DE FEYFER, CORN. FIL.
HORNA WESTFRISIUS.

ad diem 15. Aprilis, H. L. 2. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELET,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.

DISPUTATIO JURIDICA
IN AUCURALIS
DE
LEGIBUS DIVINIS ET
HUMANIS

ADSPICANTE SUMMO NUMINE
Et Auctoritate Magnifici Rectoris
JOHANNIS DAVIDIS HAHN

Philol. & Med. Doc. Philosphie, Physicæ, Mathematicæ
et Astronomiæ Professor Ordinarius
NEOMAGNI
Magistri Senatus ACADEMICI Rectoris
Magistri Facultatis Juridicæ Decani
PRO GRADU DOCTORATUS

Summae in UTROQUE JURE honeste
Festis die ac legatione comparata
Johannes de FEYER, Corn. Praes.
in URNA WESTERBUD



FRANCISCUS BRUNN
EX OFFICINA JOHANNIS BROEDER
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCXV

D. CORN. DE FEYFER,
A. L. M. ET PHILOSOPH. DOCTORI, SCHOLARUM CURATORI INDEFESSO, GREGIS SACRI, QUI HORNÆ WESTFRISIORUM CHRISTO COLLIGITUR, PASTORI SENIORI ET FIDELISSIMO, CONSCIEN TIARUM DUCTORI PRUDENTISSIMO, *ορδοξίας και ευσεβείας* AMATORI SUMMO, PARENTI MEO INDULGENTISSIMO DILECTISSIMO, DUCTORI DOCTORIQUE A TENERIS UNGUICULIS AD HÆC USQUE TEMPORA PRUDENTISSIMO, SUMMA REVERENTIA ET HONORE, PRÆ CÆTERIS MORTALIBUS, DUM LUCIS USURA FRUAR, SEMPER DILIGENDO ET HONORANDO.

D. DANIELO DU RIEU,
MERCATORI AMSTELODAMENSI VIGILANTISSIMO, AVUNCULO MEO EXOPTATISSIMO, AD ROGUM USQUE OB VARIA BENEFICIA IN ME COLLATA, PROSEQUENDO ET SEMPER ÆSTIMANDO.

D. JOANNI DE FEYFER,
MERCATORI MEDIOBURGENSEI EXACTISSIMO VARIIS OFFICIIS TAM ECCLESIASTICIS
* 2 QUAM

QUAM CIVILIBUS SPECTATISSIMO, AVUNCULO
MEO CHARISSIMO, DONEC MEA TUMU-
LUS CONTEXERIT OSSA, MULTIS NOMINI-
BUS PROSEQUENDO.

D. ANDRÆ SCHAGEN,
MENTIS DIVINÆ INTERPRETI CASTISSIMO,
IN ECCLESIA BLOKZYLANA QUÆ CONGRE-
GATUR CHRISTO, AVUNCULO AMANTISSI-
MO.

D. JACOBO NIEUWLAND,
MERCATORI DELPHENSI OBSERVANTISSI-
MO, AVUNCULO DUM MEMOR IPSE MEI,
VENERANDO.

*Hosce Academicos fructus ut
& se ipsum devoto pectore
& animi submissione*

D. D. D.

JOH. DE FEYFER, CORN. FIL.

AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS.

DE

LEGIBUS DIVINIS ET
HUMANIS.

§. I.

Duo sunt ad Rempublicam beate fundandam *Necessitas*
& conservandam: scilicet, constitutio sin- *Religionis*
cera & recta, veræ ac orthodoxæ religio- *& Legis*
nis; ubi enim pietas, pro scopo, fine ac re- *in Repu-*
gula actionum, proponitur, ibi omnia rec- *blica.*
te & convenienter fiunt & procedunt, ibique
proculdubio ut Respublica felix, florens atque beata sit,
necesse est: deinde legum bonarum auctoritas ac juris uni-
cuique sui & justitiæ æqua distributio certe necessarium, ut
æquissimæ leges a magistratibus populo præscribantur, ex-
que severe, sancte, inviolabiliter custodiantur & executio-
ni mandentur; bonæ siquidem leges, sunt nervi & vincula
totius Reipublicæ, & ut P. OROSIUS *hist. lib. 7. cap. 43.* re-
cte ait. *Respublica sine legibus non est Respublica:* vel ut
CICERO scriptor politissimus, affirmat pro Cluentio: *ut cor-*
pora nostra sine mente, sic Respublica sine lege suis partibus,
ut nervis & sanguine & membris uti non potest. & DEMOS-
THENES contra midiam; *Lex est anima & Spiritus civita-*
tis, & rursus CICERO pro Cluentio, *Lex est fundamentum*
quo Respublica fulcitur & continetur: & *Lib. 3. de ll. Sine*
A *lege*

lege nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest, (id etiam Moses divinitus, observavit, cum omnia ex legibus fieri voluit) & civilis societatis firmamenta cuius salus & tranquillitas ex observatione dependeat. Ad hanc refero, illud ejusdem auctoris lib. 1. de ll. cum dixit, lex incolumes servat cives. Illis observatis, tunc quisque bona opesque suas legitimis modis tueri, vitam, famamque suam & existimationem ab improborum injuriâ sartam tectam conservare potest, & tribuere cultum isti Deo (Cui sol cum astris suis, Cui mare cum fluctibus suis, Cui venti, cum omni flatuum suorum vehementia, Cui anni tempestates, cum suis vicissitudinibus, Cui diei, noctisque alternæ reciprocationes, Cui omni terræ imperia, quantumvis sibi invicem minitantiâ subsunt, Cui cælestes genii obsequio se parent; cuius jussa, diabolorum ferocissimi quamvis renitentes, ex equantur tamen) & tribuere magistratibus honorem & reverentiam, minoribus comitatem & benevolentiam oppressis & afflictis tutelam, dubiis consilium, omnibus innocentiam. & ut PETRUS APOSTOLUS Epist. 1. Cap. 2. v. 17. suadet, honorate omnes, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate.

Etymologia.

§ II. Lex à variis varie definitur; alii à *lego* ut VARR. lib. 5. *leges quia lecta ad populum, quas observat: & ISIDORUS lib. 2. Cap. 10. Lex a Legendo vocata, quia scripta est. PEROTTUS explicat causam appellationis; lex à legendo dicitur, quod publice legatur, ut omnibus nota sit & ab omnibus observetur. CICERO aliam dedit derivationem nempe, qua legere est deligere, quod sit delecta aliqua sententia; a Cl. MARKIO, lex à legendo quod palam prælegatur. Sic & a GULIELMO APOLLINIO, Lex a legendo, quod publicè legi, hoc est, recitari & promulgari soleat; sive quod legibus deligantur, qua bona & honesta sunt, è malis & turpibus. alii a ligo, quod liget hominum libertatem & ad certas res restringat. Hebræis dicitur *Thorah* à radice *Farah*, quæ in *Hiphil* significat, docuit, erudit, quia
lex*

lex est doctrina erudiens nos de voluntate Dei, nostroque erga ipsum & proximum officio.

Græcis *νομο*, quæ vox derivatur a *νομος*, id est *tribuo*, item *πασκο*, *rego*, *administro*, quæ vox ex eo dicitur, quod tribuat cuique suum, ut Deo divina, homini humana. Gallicis dicitur. *la Loy*.

§. III. Etiam dicuntur leges, *artis præcepta*, *norma*, *Homonymia*, *regula*, ut leges Grammaticorum Dialecticorum. CICERO *de orat.* 3. 49. *hanc ad legem formandam vobis oratio est. & cap. 58. versibus, certa & definita lex est, quam sequi necesse est.* Leges etiam nominantur, *conditiones & capita* in quæ conveniunt foedera & pacificationes, ut VIRGILIUS *Æn.* 12. 314. *Factum jam fœdus & omnes compositæ leges.* LIV. 33, 16. *cum legati Roma venerant, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges est, & TERENCEIUS Heaut.* 5, 2, 45. *tam facillime patris pacem in leges conficiet suas, sic, hac lege, hac conditione.* & EURIPID. 1, 2, 2. *lege hac tibi adstringo fidem.* & PROPERTIUS cum Philyde & Theia amicis à Cynthia deprehensus, 4, 9, 45.

*Admissa si vis me ignoscere culpa,
Accipe, qua nostra formula legis erit &c.
Indixit leges, respondi legibus utar.*

Lex aliquando & *honestatem dicit* & *bonos mores*, videatur BARTH. *ad stat. Sylvas* 1. Carm. 2, 35. *Formula vendendi*, ut sæpius apud CATONEM 145, 1. & 146, 1. &c. addatur CICERO *in Verr.* 3, 36. VITRUV. 1, 1. ostendit quarum rerum peritus esse debeat architectus, ut *legibus scribendi prudentia caveri posset & locatori* (domus ædicandæ) & *conductor*, nam sic lex perite fuerit scripta, erit, ut sine captione uterque ab utroque liberetur. Rursus *lege sua aliquid pati dicitur ille*, in quem exemplum suum recidit. OVID. *Her.* 5, 134. *& poteris falli legibus ipse tuis: & 6, 154. leges sanciat ipse suas.* Et quid nos intelligimus per legem videbitur. §. seq. in fin.

DISPUTATIO JURIDICA

4

Definitio. §. IV. ARISTOTELES 3. *Politicorum* definivit, *Lex est princeps, cui obedire debemus; est dux, quem sequi congruit; est regula quam faciendis quibuscunque applicare decet. & alibi; Est oratio definita juxta communem consensum civitatis, indicans quomodo singula oportet agere.*

PLATO de ll. *Lex, ait, est recta gubernandi ratio, qua dirigitur in optimum finem per media commoda, proponenda transgressoribus penas, & obedientibus premia.* CICERO I. de ll. *Lex est ratio summa insita in natura, qua jubet ea qua facienda sunt, prohibetque contraria, & paulo infra, Lex est recta ratio, in jubendo & vetando; natura vis est, moris ratio, prudentis juris atque injuriæ regula, justorum & injustorum distinctio, qua supplicio improbos afficit, defendit & tuetur bonos.*

SCHOLASTICI: *Lex est regula & mensura actuum agendorum vel omittendorum.*

STOICI & ex iis JURISCONSULTUS MARCIANUS l. 2. ff. de ll. *Lex est omnium divinarum & humanarum rerum regina &c.*

Et GERSON part. 1. de orig. jur. *Lex est regula conformitatem habens ad dictamen rectæ rationis, & rursus part. 4. in descriptionibus terminorum ad Theologiam utilium, inquit, Lex est recta ratio practica, secundum quam motus & operationes rerum, in suos fines ordinate regulantur.*

ALEX. AB ALEXAND. part. 3. *Lex est sanctio sancta præcipiens honestum, prohibensque contrarium.*

Jam vidimus varias Doctorum definitiones; ad teneamus definitionem Jconsulti PAPINIANI leg. 1. ff. de ll. & illam in sequentibus explicabimus, qui sic quod *lex sit commune præceptum, virorum Prudentium consultum: delictorum, qua sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio: communis Reipublica sponsio.*

Diviso in §. V. *Leges dividuntur in Divinas & Humanas; sed quia Divinas leges humanæ suam originem debent legibus Divinis, & humanas. ideo inspiciemus prius leges Divinas. Synonymiam legis Divinæ explicant Theologi, satis abundanter.*

Legis Di- §. VI. *Definimus nos legem Divinam cum Cl. MARKIO*
cujus

I N A U G U R A L I S.

5

(de cuius viri laudibus nunquam tam dixero magnifice, *vina de-*
 quin id eruditio exsuperet ejus) quod sit, *faciendorum & finitio.*
fugiendorum omnium norma, a Deo creaturae rationali præ-
scripta, sub comminatione mortis immorigeros manentes &
promissione vite ab observantibus expectanda. Explicatio
 ejus definitionis potest inveniri in Systemate illius viri.
 Cap. 11. §. 8. & seqq.

§. VII. Legis Divinae auctor est Deus, O, M, qui eam *Auctor.*
 in primâ creatione, inseruit hominum mentibus, quod
 probatur ex Ep. ad Romanos Cap. 2. v. 14, 15. & pro-
 babitur in §. 8. fufius dari: deinde in monte tabulis lapi-
 deis incidit, & eam promulgatam dedit Exod. 32. quod
 porro invenietur §. 12.

§. VIII. Lex Divina in genere dividitur *in Naturalem Divisio*
 & *positivam*; Naturalis est, quæ in natura ipsa, *justissima in Natu-*
 & Sanctissima Dei fundatur, *in Natu-* *ralis &*
 cuius respectu non dicun- *ralis &*
 tur *juste* quia *jusse* sunt, vel *jusse* quia *juste* erant & bo- *positi-*
 næ; sed quia ad Dei præceptum & in sanctitate & sapien- *vam.*
 tia sunt fundatæ. Dividitur *late & improprie* & tunc ni-
 hil aliud notat *quam providentiam Divinam & governa-*
tionem omnium creaturarum, & etiam extenditur ad bru-
 ta & inanimata Psalm 119. 91. & 148. 6. Vel *stricte &*
proprie pro regula practica officiorum moralium, ad quam
homines natura obligantur. Sunt, sed errant qui putant,
 non dari legem naturalem, & quod nihil natura ma-
 lum vel turpe sit, sed modo lege vel consuetudine: sed
 è contrario opinamur, nempe, legem naturalem esse
 impressam conscientia in prima creatione, & non or-
 ram ex contractu vel lege voluntaria societatis; sed ex
 divina obligatione, nemo enim datur mortalium qui
 non magis vel minus sentiat tot reliquias & documenta
 hujus legis, quamvis per peccatum corrupta & obscura
 sit. Origo atque fundamentum hujus legis non peti
 debet *ex præceptis Noachicis* vel Adamo datis, ut Judæi
 somniant. Sunt, secundum Judæorum opinionem, se- *Præcepta*
 quentia. Duo priora inter hominem & Deum, quatuor *Noachica*

verò sequentia inter hominem & proximum; hæc sex inquirunt sunt data Adamo, quibus in renovatione eorum Noacho septimum additum sit; nempe inter hominem & animal quodvis, erga quod crudelitas interdicitur. 1. de Idololatria, 2. de benedictione nominis Divini. 3. de iudiciis. 4. de effusione sanguinis seu homicidio. 5. de incestu. 6. De rapina seu furto. 7. De membro animalis vivi non comedendo. En præcepta; sed quia nobis fabulosa videntur, & apud Orthodoxos pro nugis habentur, ideo non necesse est oleum & operam perdere, ad ea explicanda. Enim vero si alicui lubeat inquirere extensionem atque explicationem, adeat *PETRUM CUNÆUM Rep. Hebr. lib. 1. Cap. 1. & HERM. WITSII Ægyptiaca lib. 1. cap. 5. & seqq. FR. TURRETINUM part. 2. pag. 3.* Sed peti debet ab ipso jure naturæ, quod nititur, naturâ Creatoris, qui per ejus sanctitatem non potest non præscribere officia creaturæ rationali, quæ illo nituntur; hic sumitur *stricte & proprie*, non *late & improprie*; Sed pro eo quod tantum respicit creaturas rationales, seu lumen & dictamen conscientiæ, quod summus legislator singulis hominibus a natura insculpsit ad honesti & turpis discrimen & cognitionem faciendorum & fugiendorum. Etiam dari probatur 1. *ex sacris Pandectis Rom. 2. §. 14. & 15. & 1. §. 19. & 20.* 2. *ex Populorum consensu*: ut *CICERO pro milone, orat. 10. cap. 4. Lex non scripta, sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Et unde veniret quod leges tam justissimæ sunt latæ à Legislatoribus Ethnicis, nempe *Deum esse colendum, parentibus honorandum, honeste vivendum*, nisi à lumine naturæ? 3. *ex conscientia*, quæ unicuique in memoriam revocat, quid honestum quid turpe sit; cujus datur exemplum in Adamo & Eva. Et unde nascerentur tot angores conscientiæ, & unde reperuntur sceleratissimis die noctuque sua scelera, nisi ex conscientia. Et ut *Cicero pro Roscio. ait. Impii penas luunt, non tam judicis,*

*cis, quam angore conscientia, fraudisque cruciatu. Confer Rom. I. v. 32. 4. ex regimine & imperio Dei in hominem. Certe enim simus pendentes à Deo, si pendentes, ergo regi debemus mediis, nempe legibus; & si perinde esset Deum T. O. M. amare, & odio prosequi; permulta absurda inde evenirent, & aperiret viam atheismo, & sublato hoc supremo regimine summi Olympi in homines, tunc tollerentur omnia juris fundamenta, & mundus quam brevissime converteretur in Chaos, essemus similes Sodomæ & Gomorræ; satis autem id videtur ad probandum dari legem naturalem; & ne nimius sim hac in probatione adeat L. curiosus Fr. Turretinum *part. 2. pag. 4. & seqq.**

§. IX. Perspecta lege naturali, non inutile esset hic inquirere, quomodo lex illa naturalis conveniat vel differat a lege morali. Lex moralis convenit quoad substantiam & Naturatione principiorum; sed differt quoad accidentia & variatione conclusionum: officia erga Deum, erga proximum, comprehenduntur ambabus: sed est in iis diversitas tradendi: Lex Moralis præscribit omnia clarè & distinctè; leges naturales jam obscuratæ & imperfectæ & multæ amissæ per peccatum, & corruptæ sunt vanitate & malitia hominum. Rom. I. v. 20. & 21. & 22. Aliæ licet dentur differentiæ, satis est, convenire quoad substantiam, quod nemo negabit.

§. X. Omnia Legis Moralis Præcepta fundamentum habent in uno Decalogo, cujus definitio sic sese habet. *Moralis* *Quæ hominis integri & partim adhuc lapsi inscripta cordi, Præcepta. postea a Mose Decalogo summatim comprehensa, sanctissimam, immutabilem, perfectissimam & perpetuam morum omnium animi & corporis constituit regulam.*

Nunc ante omnia inquirendum, quisnam Legis Moralis seu Decalogi, sit auctor. Deus, nempe (Jehova loquitur, Creator, Rector mundi, Judex, Vindex suæ legis & majestatis. Jesaia I. v. 2. & iste Deus loquitur de quo testatur SALOMON PROV. 21, v. 1. ut rivi aquarum,

sic

IN A U G U S T I N I
DISPUTATIO JURIDICA

8
 fio animus regis est in manu Jehovæ; quocumque vult in-
 clinet eum; & loquitur Deus ille (qui inter populum
 suum habitavit, ut inter suos terrarum Reges solent.
 Nolim tamen ut ita arbitremini de Rege Israelis, quasi
 terrenis hisce & egenis mundi elementis, non dico val-
 de, sed quodammodo afficeretur, non habitat enim in
 templis manu factis; Sed habet pro throno coelum, &
 & pro scabello terram; Non indiget hominum mini-
 sterio, cui caelestes Angelorum turmae ad nutum semper
 praesto sunt. & Deum esse regem, & inanimata sentiunt
 & bruta loquuntur, imo mali daemones, quamvis eju-
 rato Regis obsequio frementes freudentesque agnoscunt;
 & qui iis proxime accedunt Athei insipientes contra Deum
 sapientiae magistri, arcantis animi convictionibus invitati
 experiuntur; & Deus ipse testatur se regem in Sam. 8.
 8. v. 7. (non enim te solum spreverunt, sed me spre-
 verunt, ne regnem super eos,) & quicquid a rege
 in terra expectari potest, abunde a Deo Israelitis est
 praestitum. *Officium* enim Regis est, reipublicae *convenien-*
tes praescribere leges, id Deus, magna sapientia & sancti-
 tate fecit; & quidem ita ut omnes aliae gentes felicitate ob-
 tem praeter ceteris omnibus praedicare debuerunt; & quic-
 quid in Lycurgi legibus, quicquid in Romanorum iuribus
 tabulis praecclare fuit, ex legibus Divinis haustum fuisse, in
 luce meridianâ clarius, patet. & lex, quam Rex Israeli-
 tarum tulit, vocatur *Lex Regia* Jacobi 2. v. 8. *Officium*
 Regis est, *jus dicere civibus,* in causis minoribus per ju-
 dices a se constitutos, in majoribus aut obscuris, sicut
 ut ipse, quod ex bono & aequo est, pronunciet. Ea ip-
 dem methodo egit Deus cum populo Israelitico; ubi
 bique locorum Judices constituentes. Rom. 13. v. 4. ita
 verum etiam nonnulla legibus non definita sibi referre
 vans de quibus per Moysen, aut Pontificem Maximum, si
 se consuli volebat. *Officium* Regis est, *populo suo de omni-
 bus necessitatibus prospicere,* ne desit annona. Prospexit ille
 Deus Israelitis, quibus per sabasolum Arabiae desertum
 iter

I N A U G U R A L I S.

iter facientibus, omnique destitutis commeatu, rore quidem purissimo, sed incrassato, quem mannam dixerunt, pavit & potavit fluentibus ex rupe Moſis baculo percussa aquarum rivis liberaliter totos quadraginta per annos, & effecit ne vestimenta veterascerent, aut calcei detererentur.

Regis Officium est, non tantum pacis sed & belli negotia curare; v. pr. Proem. Inst. neque his sibi suisque Deus defuit. Nam ex nutu Jehovæ, aut offerenda pax, aut inferendum bellum erat, & struendæ acies: & quæ in principiis, quæ post principia tribus; quibus primus in hostem faciendus impetus esset, Jehovæ oraculo per Urim & Thummim, definiebatur, in ipsis quoque Israelitarum castris metandis, dum per inculta locorum oberabant, militia ordinem servari voluit, NUM. CAP. 2. & si quo movenda essent, duce nubis ignisque columna præibat arca, cum Cherubinis, luculenta præsentis Imperatoris symbola, ut quod Romanis aquilæ, id ipsis tanquam omen victoriæ præstaret Israëlitis, ut in quoscunque irent, & etiam incredibili prodigio maximorum amnium alveos repente exsiccavit & consistere jusſit aquis donec transmisissent legiones: & sic *omnia Regis officia* implevit Deus Israelitarum. Cuinam nunc ex illis præmissis non patet, Deum esse regem sui populi; sed designam, ne quidquam detero gloriam tantorum miraculorum mea disputationis humilitate) legem quoque seu Decalogum dedit primo verbis *Deut. 4. v. 36. Nehem. 9. v. 13.* (Moses enim non finxit hic secretos cum Legislatore congressus, uti Numa ille Pompelius cum Ægeria, quæ Historia extat apud LIVIUM *lib. 1. Cap. 19.*) Sed palam Legislator Cœlestis, omni populo audiente locutus est *Deut. 5. v. 24.* atque articulate, non una voce & absque distinctione, (ut Judæi existimant) *Deut. 4. v. 10. & 12.* vox illa fuit miraculose formata in aëre & quidem operatione immediata, (quomodo Deus alios homines allocutus est, ut *Adamum, Cainum, Samuelem, Jobum*)

at hic voce magis sonorâ, quæ ad omnem Israelem per-
tigit, quem in finem quoque addita, quæ ad Majestatem,
terrorem & reverentiam facerent, uti tonitrua, sonitus
tubæ, caligo, ignis &c. dein etiam verba pronunciata
Hæbraica tabulis lapideis digito inscripsit. *Exod.* 24. v. 12. & 31. v. 18. *Deut.* 2. v. 10. quarum priorum tabu-
larum Deus ipse fuit conditor *Exod.* 32. v. 16. Tabulæ
non fuerunt æternæ, ut quidam sentiunt, sed idea le-
gis fuit æterna in mente Dei.

Illas tabulas priores fregit Moses, & cur? inspecto
Exod. 32. v. 17. & seqq. non opus ut explicem, quia ex
eo loco id omnibus patebit & ad forum Theologorum
pertineat. Artifex tabularum posteriorum fuit Moses,
Deo mandante. *Exod.* 24. v. 4. *Deut.* 10. v. 1.

Tabulas fuisse lapideas patet ex *Deut.* 9. v. 9. & 10.
Exod. 24. v. 12. Judæi tradunt fuisse ex lapide Saphyrino,
sed nihil interest cujus lapidis fuere, sufficiet credere fuis-
se lapideas, & cur? primo in monumentum perpetuita-
tis; secundo in adumbrationem duri cordis humani, in
quod sine manu potentie Dei lex nequeat scribi 2 *Cor.*
3. v. 5, 6, 7. Sunt qui versantur in opinione tabulas
scriptas fuisse, perforando, & ita ut ab utraque parte
legi potuerint, sed horum judicio meum non adjicio
calculus, credens uno latere repleto, parte altera cæte-
ra legis scripta fuisse; sibi met etiam contradicunt dissen-
tientes, quia perforando literæ, cum ab una parte rectæ
positæ essent, ab altera parte ordine inverso stare debuis-
sent, atque a priori & a posteriori legi non potuissent.
Sed hæc ad Philologos; quare manum de tabula.

*Tempus
dationis.*

§. XI. Lata Lex est die quinquagesimo post eductio-
nem ex Ægypto & tertio a præparatione. Secundum
Theologos & Chronologos anno 430. post promissionem
cujus exactissimam computationem invenio in Cl. WES-
SELII Commentario ad *Gal. Cap.* 3. 17. (a Patre meo, ad
rogum usque æstumatissimo edito) pag. 300. & seqq.

Locus.

§. XII. Locus ubi data sit, fuit mons Sinai *Exod.* 19.
v. 20.

ſ. 20. & Gal. 4. ſ. 25. qui aliquando nominatur *Horeb*.
Deut. 5. ſ. 2. *Exod.* 3. ſ. 1. aliquando *mons Dei* *1. Reg.* 19.
 ſ. 8. Sita fuit in deserto Arabiæ. Videantur Geographi.

§ XIII. Lata est lex, ut doceretur Israelitis, quod qui- *Finis.*
 dem essent liberati a servitute Ægyptiaca; sed non a
 cultu Dei *Luc.* 1. ſ. 74. & 75. Non fuit ejus finis ut per
 obedientiam legis (quam post corruptionem a lapsu im-
 plere nequibat ab hominibus) mortales justificaren-
 tur; sed ut in Republica exstaret obedientiæ norma, &
 hominum impietas cohiberetur magis; tum ut electi ag-
 noscerent suam miseriam, ut confugerent ad Christi ju-
 stitiam & ut haberent regulam gratitudinis.

§ XIV. Lex à Deo promulgata vocatur *lex decem ver.* *Promul-*
borum. *Exod.* 34 & 38. *Deut.* 4. ſ. 13. sic à Græcis Theo- *gatio.*
 logis vocatur *Decalogus*. Quod porro attinet ad promulga-
 tionem & circumstantias, fusius legi possunt *Exod.* 19.
Deut. 4. ſ. 11. & seqq. *Heb.* 12. ſ. 18. & seqq.

§ XV. At regeter aliquis fortassis, potuisse me antea *Necessitas*
 quod lex sit insculpta cordibus, ad quid ergo opus promul- *promul-*
 gatione decalogi? Sed respondemus ei *primo*, ut lex naturalis *gationis.*
 magis magisque confirmaretur; *secundo*, ut corrigeretur
 in iis, in quibus corrupta erat per lapsum, *tertio*, ut
 suppleretur in iis, quæ in ea desiderarentur, quæ obli-
 terata erant, *quarto* ut mediatoris necessitas intelligere-
 tur, & ejus desiderium, ex hominis & legis in carne
 impotentia, fortius accenderetur. *Rom.* 3. ſ. 20. & *cap.* 8.
 ſ. 3. & *cap.* 10. ſ. 4 & 5. & ut populus Israëliticus, hac
 lege in unam consociaretur, ab aliisque omnibus popu-
 lis segregaretur. *Deut.* 4. ſ. 6. & 7. & *Psal.* 147. ſ. 19.
 & 20. *Rom.* 9. ſ. 4.

§ XVI. Decalogus dividitur in duas tabulas, quarum *Decalogi*
 prior summam cultus Divini, posterior hominis erga ho- *divisio.*
 minem officium complectitur; Dein dividitur in *decem*
 præcepta *Exod.* 34. ſ. 28. & illa rursus dividuntur in qua-
 tuor priora ad primam tabulam; sex posteriora ad secun-
 dam tabulam pertinentia; sed in divisione decalogi inve-

niuntur dissentientes, sunt qui opinantur in singulis tabulis quinque præcepta fuisse; ut JOSEPHUS *lib. 3. Antiq. cap. 4.* Sed rogo, an ne Christus præceptum quintum sub secunda tabula comprehendit *Matth. 19. v. 18.* & Paulus ad *Eph. 6, 2.* dum vocat primum mandatum cum promissione, id est, quam certissime, secundæ tabulæ.

Alii primæ tabulæ adsignant tria, primum & secundum in unum conjicientes, & in duo divellentes, ut Pontificii & Lutherani; Pontificiique adjungunt præceptum secundum de sculptilibus, primo præcepto de Diis alienis non habendis, quasi esset tantum appendix vel explicatio primi; sed sibimet illos contradicere patebit, cum præceptum primum & secundum sententiis differunt, ergo & ordine; primum versatur circa *objectum cultus*, ut verus Deus colatur, secundum præceptum *circa modum cultus*, ut non colatur per imagines; unde fieri potest, ut unum violetur non violato altero, quando verus Deus colatur quoad objectum, sed non cultu legitimo, exemplum est in Israelitis qui Jehovam colebant vitulo *Exod. 32.* Tandem qui in opinione versantur de decimo præcepto in duo devellendo, illos errare probatur *Exod. 20.* ubi Mosis concupiscentiam *domus uxoris*, at *Deut. 5, 27.* ordine mutato illam postponit, quod fieri non debuisset, si duo essent distincta præcepta, & Paulus etiam hoc præceptum ut unicum refert. *Rom. 7, 7.*

Decalogi explicatio. § XVII. Sed priusquam adgrediar explicationem Decalogi, ponam hic certas apud Orthodoxos regulas requisitas. *Prima* est, quod in præceptis affirmativis negativa, & in negativis affirmativa continentur, *secunda*, specie una præposita intelliguntur omnes sub eodem genere, & uno vitio prohibito, cætera ejus generis, eique analogæ & quæcumque eo ducunt prohibentur, *tertia* in effectu causa, in genere species, in relato correlatum includitur, *quarto*, non tantum externos corporis actus, sed internos animi motus dirigit.

Quin-

Quinta, omnium præceptorum summa & finis est amor *Rom. 13. v. 10. & Tim. 1. v. 5.* *Sexta*, præcepta affirmativa non obligant semper, sed pro loco & tempore varias interpretationes variaque accipiunt temperamenta; at præcepta negativa semper, omni loco & tempore, nulla habita ratione circumstantiarum, obligant.

§. XVIII. Decalogus rursus dividitur in præfationem *Præfatio.* & ipsum Decalogum.

Legislator præfatur, *Ego sum Jehova*; ut ostenderet jus ferendi leges; Deus est Jehova, liberator populi sui, qui potest jura dare, quæ placent. *Lev. 19. Jacob. 4. v. 12.* & notat necessariam & independentem existentiam Dei; uti æternitatem immutabilitatem etiam in promittendo *Exod. 3. v. 14 & 15. & Exod. 6. v. 2. Mal. 3. v. 6.* etiam præfatur sic, ut fundamenta obedientiæ ponat, & rationes obligationis doceat, est enim Jehova, cui omnis cultus, honos & reverentia debetur. *Lev. 22. v. 31 & Deus Israelis ex fœdere Mal. 1. v. 6. Deut. 32. v. 6. Exod. 19. v. 5.* & ponat beneficium liberationis, quod Israelem in peculium Dei assererat, & ad gratitudinem obligabat *Levit. 20. v. 8. Exod. 23. v. 20. Josua 24. v. 1. Psalm 81. v. 15.*

§. XIX. Primum præceptum agit de Diis alienis non habendis, & in hoc vetatur Atheismus, Polytheismus, Magia, religiosus creaturarum cultus, Angelorum, sanctorum, reliquiarum imaginum; at præscribitur vera Dei agnitio, timor & reverentia, Amor in illum fervens, spes & fiducia, obedientia, adoratio, patientia in adversis, invocatio, gratiarum actio, omnia veræ religionis munia. Hoc præceptum est *Divinum*, cum fluat ex natura Dei, qui solus est Deus, & qui postulat jure agnoscere suam majestatem & coli uti dignus est; eo sane creavit omnia, ut glorificetur *Rom. 11. v. 36. Est naturale* homini, nam nulla gens tam barbara, quin Deum quandam verum esse habendum sciat & consentiat. *Rom.*

1. §. 20. Est *Politicum*, at non astum politicum, ut populus facilius regeretur; sed & Reipublicæ quam maxime interest religio; est *Euangelicum* & *Christianum*, quod condemnat, quod ei adversatur. *Job. 17. §. 3. & Job. 5. §. 20. & 21.*

Præcep-
tum se-
cundum.

§. XX. In secundo præcepto Deus duo vetat: *primo* ne Deum qui incomprehensibilis & invisibilis sub sensu nostros subjicere aut ulla specie repræsentare audeamus. *Secundo* ne ulla imagines colamus, quocunque cultu: sic vetatur fabrica imaginam Dei, quæ adhuc prohibetur. *Deut. 4. §. 15. Exod. 20. §. 4. Levit. 36. §. 1. & hic etiam vetatur omne genus Idololatriæ, & quidquid hoc nomine venit in scriptura, damnantur etiam qui imagines pingunt quæ ab Idololatriis coluntur. At objicitur hoc præceptum solum esse positivum, & quod Judæos tantum obliget, non vero naturale, quod omnes obstringat. Sed nos contrarium sentimus, nempe esse morale & juris perpetui; quia rationi consentit, ut verus Deus pure absque omni idololatria colatur. Impossibile enim & nefas est repræsentare Deum per imaginem *Deut. 4. §. 15. & facta est repetitio in N. T. post abrogationem legis Cereemonialis Act. 15. §. 20. 1. Job. 5. §. 21. & hoc præceptum est natura notum Act. 14. & 17. & Rom. 1. etiam confirmatur ex Historia multarum gentium, quæ imagines admittere noluerunt; datur enim exemplum Ethnici sanioris Numæ, qui vetuerat imaginem aliquam fieri Dei, homini, aut ulli animali similem (neque ante illum apud Romanos erat aliquid sculprile aut fictile Dei repræsentamen) & ANTIPHANES aiebat eleganter, *Deum ex imagine non dignosci, oculis non cerni, nulli esse similem.* Et de Deo nullam imaginem vel repræsentamen fingi potest, *primò* quia Deus est spiritus, cui corporea fingi non potest imago, nisi sit mendax *Job. 4. vs. 24. Jerem. 10. vs. 14. Hebr. 11. vs. 18. Zach. 10. vs. 2. Secundo* Deus est infinitus & omnipræsens adeoque nullam habet formam vel figuram, quæ exprimi quæat. *Jesaja 6. vs. 3. Ter-
tio,***

tio, Deus est infinite perfectus, hinc eius gloria non fert conceptum, qualis ingeritur per imagines *Rom. 1. vs. 23. Jesaia 42. vs. 8.* Quarto, Deus nulli creaturæ potest assimulari, adeoque, nulla ipsi potest pingi vel statui imago. *Jesaia 40. vs. 18. Act. 17. vs. 29.* Hoc præceptum est *Divinum*, fluens ex natura ipsius Dei. *Naturale* homini, juxta Principia naturæ, ad Deum attentia. *Politicum*, interfit enim Republicæ ut Deus caste adeatur. *Evangelicum*, quia quod spirituale maximo-pere cultum amat spiritualem *Job. 4. vs. 24.*

§. XXI. In tertio præcepto, non prohibetur jurare *Præceptum* per nomen Dei, nam hoc expresse jubet legislator. *Deut. 6. vs. 13. & Jerem. 4. & quam maxime necessarium* est juramentum ad veritatis confirmationem & controversiarum diremptionem *Hebr. 6. vs. 16.* sed prohibetur nominis Divini profanatio, omnis Blasphemia. *Levit. 24. vs. 16.* & omnis abusus nominis Dei in rebus illicitis; omnia juramenta temeraria & levia, ac per creaturas facta. *Matth. 5. vs. 34. Jac. 5. vs. 12.* ita *Jerem. 4. vs. 7.* damnantur, qui jurabant per eos, qui non erant Dii; prohibentur omnia perjuria *Psalm 24. vs. 4.* & omnes imprecationes temerariæ, & vota temeraria & levia, nempe circa actiones, suo genere, malas vel bonas in se, sed majus bonum impediens; & circa Impossibiles, & circa res inutiles & stultas. Sed injungitur maxima Dei reverentia, & nihil cogitare, dicere, facere, quod ad ipsius contumeliam & dedecus ullatenus pertineat. Agendi hic datur locus de fide juramenti, seu qualis sit & quanta obligatio & in quibus casibus fidem datam rescindere possumus, vel servare teneamur; decisio nititur tribus propositionibus; *prima* est, quod omne juramentum quod legi Dei repugnat & obedientiæ legitimæ erga magistratum, quod est de rebus illicitis vel impossibilibus, non obligat jurantem ad observationem. Nam semper huc illud Apostolicum referri

referri debet, *Satius est obedire Deo, quam hominibus;* quinam jurare possunt nec ne, Theologis & jurisperitis satis nota, & quia brevitati studebo, de illis nihil movebo. *Secunda* propositio est, omne juramentum de re licita & possibili, quod salva pietate & obedientia Magistratui debita, & salute proximi præstari potest, absque omni furo & dolo servari debet, etiamsi per vim aut metum extorqueatur & cum injuria & damno temporali jurantis jungantur, quia juramentum fit, cum invocatione nominis Divini, quod non est profanandum *Levit. 19. vs. 11, 12. Matth. 5. vs. 33. & Psalm 15. v. 4.* *Tertio* propositio est; Fides jurata etiam & infidelibus servanda; Orthodoxorum sententia est gravissimis rationibus nixa, cum quibus consentio; sed videamus. *Prima* est, quia fidem servare est actus veritatis, justitiæ & fidelitatis; nam qui fidem servat, præstat quod dicit, quod est veritatis; facit quod promisit & ad quod obligatus est, quod fidelitatis; & reddit alteri quod ei ex promisso debet, quod est justitiæ. *Secunda*, quia infidelibus fidem jurare licet, ergò & fidem servare, patet exemplis Bibli- cis, Abrahami, Isaaci, Jacobi, exploratorum, aliorum- que & non potest esse Hæreticorum deterior conditio. *Tertia* quia Deus talia perjuria severissime ultus est in filiis Jacobi contra Sichemitas *Gen. 34. & 49.* aliis quam plu- rimis exemplis omis- sis. *Quarta*, quia connubia cum infidelibus solvenda non sunt propter infidelitatem & hæ- resin, nec fides jurata propter eam violanda est *1 Cor. 7. vs. 13. & 14.* ergo nec alia pacta quæcunque, quia utro- bique intervenit religiosa sponsio. *Quinta*, quia fides ju- rata ipsis hostibus servanda est, naturæ & gentium jure; constat etiam exemplis Reguli, Agesilai, aliorumque. Pro absurdo tenemus uti, in juramentis, æquivocationibus amphibologicis, & reservationibus mentalibus, & qui- dem ob rationes sequentes. *Prima* quia juramentum de- beat esse controversiæ terminus *Hebr. 6. vs. 16.* Sed per
 has

potius multiplicantur, & non finiuntur lites, cum nihil pateat, unde colligat pars altera, an bonâ fide agatur nec ne. *Secunda*, quia sacræ Pandectæ hanc artem a parte damnant. *Jerem. 8. vs. 9. & 2. Cor. 4. vs. 2.* *Tertia*, quia hoc *juri Divino* aliisque pluribus adversatur (quod vetat fieri mala ut eveniant bona; *Naturali juri*, quia est falsa significatio pugnans cum natura, & cum proposito fallendi conjuncta; *Civili juri*, quia hoc posito suspecta erunt colloquia, juramenta, contractus, commercia, nihilque tutum & securum.) *Quarta*, quia Magistratui imponere, & ejus interrogata ambiquis responsis eludere, nefas est, quod præstant æquivocationes Jesuiticæ; at non tantum eludunt Magistratum, sed & illum qui judiciis præest, nempe Deum. *2. Chron. 19. vs. 6.* quod nefandum absurdumque. *Quinta*, magnum peccatum in iis est, quia mendacium directum manifestumque, quia aliud tegitur pectore, aliud ore profertur, & id cum fallendi intentione, utunturque verbis contra mentem, contra conscientiam, & contra rem, de qua agitur. *Secundo*, quia natura juramenti per istam simulationem violatur. *Tertio*, quia magna adversus Deum est injuria, adferre ejus testimonium, quamquam fiste ad rem falsam comprobendam. *Quarto*, quia sic janua aperta est omnibus mendaciis fovendis. Quæ ex sacris objici possunt, forsitan majorem habent authentiam Historiæ, quam normæ, ut de Abrahamo, Samuele aliisque. Hoc præceptum est *Divinum*, fluit enim ex natura Dei. *Naturale* homini, prout insitum est naturæ Deum revereri. *Politicum*, refert, ut in Republica Divina Majestas, magis quam Regia sit inviolata, & statuta etiam pæna in blasphemum. *Levit. 24. vs. 11. & 14.* *Evangelicum & Christianum*, quod summe Deum glorificat & honorat.

§. XXII. In quarto præcepto mandatur Sabbathi Sanctificatio. Quæ fit vel a Pastoribus vel a grege. Fit a Pastoribus, sanæ doctrinæ prædicatione, legitima sacramentorum administratione certis temporibus, publica præ-
Præceptumquartum.

cum recitatione, commissi gregis sincera dilectione & visitatione: a grege. Sanctificatur verbi prædicati attenda auditione, publicis & privatis precibus, sacrorum cæ-
 quum frequentatione, scripturæ sacræ lectione & medita-
 tione, charitatis officiis, mutuis hortationibus, cessatio-
 ne a laboribus consuetis, servilibus, quæstuosis. Exci-
 piuntur opera quæ directe spectant cultum & gloriam
 Dei, ut opera charitatis & misericordiæ *Matth. 12. vs.*
11. & seqq. & ideo male Christus a Pharisæis arguebatur
 quod sanabat ægros, & discipuli Christi esurientes Sab-
 batho, dum spicas evellebant. Excipiuntur etiam opera
 necessitatis, quæ nobis per Providentiam imponuntur,
 ut cibum coquere, ignem accendere, se adversus hostes
 laceffentes defendere & tandem opera communis honesta-
 tis. Auctorem & institutorem Sabbathi Deum T. O. M.
 esse, omnibus palam est. Institutum nobis videtur Sabba-
 thum *Gen. 2. vs. 3.* ubi creatio, Sanctificatio, quies ponun-
 tur in præterito at non in futuro. Et ipse Legislator re-
 petit in decalogo, ubi narratio creationis, & additur e-
 tiam in præterito, *Sanctificavit Sabbathum*, id indicare vult,
 quando cælum & terram Deus creaverit. De prolepsi
 alii loquuntur in hoc versu, sed nos affirmamus in ca-
 su necessitatis scripturam uti aliquando prolepsi, sed heic
 nulla datur necessitas; Si in uno hoc versu ponatur pro-
 lepsi, ergo admittenda per totum caput, & tunc seque-
 retur Moſen jam extitisse ante mundi totius primordia,
 ad quam nemo calculum adjiciet suum. Affirmamus
 Sabbathum quoad substantiam totum esse morale & juris
 perpetui; dum modo distinguamus in *morale Naturale &*
morale positivum. *Morale Naturale* mihi est, quod fluat
 ex Sanctissima ipsius Dei natura. E. G. cultus Divinus,
 tempus certissimum. *Morale positivum*, quod fluat ex
 sanctissima summæ majestatis voluntate. E. G. determi-
 natio certi temporis, quæ hic est dies septima, ne frus-
 tra Deum colamus, docentes doctrinas, quæ sunt man-
 data hominum. Cæterum Theologos relinquo, nempe
 de

de Ceremonialitate & moralitate, quod mei fori non est, & omnes cavillationes distinctione supra posita abscindi velim, & sic credimus præceptum esse *Divinum* fluens ex natura & pendens ex voluntate, quia Deus, est Deus ordinis. Est *Naturale* homini, & patet omnibus increatum esse. *Politicum* ad fugiendam confusionem sacri & profani, & ad respirationem creaturarum. Est *Christianum* & *Evangelicum* etiam dum Christus est Dominus Sabbathi; est enim servire Deo summa libertas, & Christianis nobile negotium.

§. XXIII. Præceptum quintum, recte *primum* præceptum cum promissione vocatur *Eph. 6. vs. 2.* & præscribitur, *reverentia, obedientia, gratitudo, amor, honos*, non modo filiis erga parentes, sed & omnibus inferioribus erga superiores, & simul injungitur superioribus erga inferiores, *amor, cura, benevolentia, fidelitas, justitia*. Vetatur 1. liberorum *παρων* erga parentes, rebellio adversus eos, inhumanitas illa, qua filii recusant egenis parentibus opem ferre, contemptus aliaque hujus generis. 2. Rebellio subditorum adversus Magistratum. 3. Contumelia servorum adversos dominos, 4. Ingratus animus discipulorum in Præceptores, Ecclesiæ membrorum in Pastores, clientium in Patronos. 5. Contemptus quo seniores a junioribus afficiuntur. 6. Simulata inferiorum erga superiores submissio. Quæritur, an filii se a Parentum potestate subducere possint, & sine eorum consensu matrimonium contrahere, quod negamus. Sed ne egrediar terminum disputationis; illam quæstionem non tractabo, adeat B. L. ad Theologos juris Peritosque, à quibus de ea re, jam per multum in lucem prodiit. Et hoc præceptum est *Divinum*, ex Dei providentia & constitutione, propagatione & gubernatione cujus quasi imaginem gerunt parentes. Est *Naturale*; recta enim docet ratio, amare suam originem, prudentiam & tutelam atque ideo quoque omnem personam Parentum. *Politicum*;

honor erga Parentes, conservat Familias, seminaria bonorum civium. *Euangelicum & Christianum*; Ex familiis enim bene constitutis oriuntur optima Ecclesiae membra & columnae religionis.

Præceptum sextum.

§. XXIV. In sexto præcepto non vetatur Homicidium Judicis, aut Magistratus autoritate præstitum, hoc enim jubet scriptura *Rom. 13. vs. 4.* Neque jus belli, quod V. T. licitum, in N. T. non improbatum. Neque etiam homicidium, quod patratum adversus violentum aggressorem, si modo observatur MODERAMEN INCULPATÆ TUTELÆ. Sed vetatur 1. omne homicidium privatum, nempe quod privata autoritate, & dolo malo, sive ex odio & vindictæ studio, sive id fiat, vi, sive astu, sive ferro, sive veneno, sive directe sive indirecte patratum. 2. *Αὐτοχειρία*, qua peccatur in Deum, in se ipsum, in Rempublicam, in Familiam, in Ecclesiam. Pythagorei recte ajebant, *nos in hoc mundo esse a Deo collocatos, velut in statione, ex qua sine Imperatoris consensu non sit migrandum.* 3. Duella, quæ nulla ratio licita reddere potest, non vani honoris defensio, non vindictæ executio, non criminis purgatio. 4. Odium, vindictæ studium, invidia, contumelia, convitia in sermonibus, internæ iracundiæ motus. 5. Quicquid cum vera & sincera proximi dilectione, aut legitima sui defensione pugnat. *Matth. 5. vs. 21. Lev. 19. vs. 17, 18. Zacch. 8. vs. 16, 17.* Sed præscribitur, proximi defensio, auxilium, amor, mansuetudo, concordiae pacisque studium. Hoc præceptum est *Divinum*, Deus enim solus est Dominus vitæ, Rex societatis hominum viventium, judex & arbiter vitæ & necis, & qui hominem ad sui imaginem creavit, & opus hoc destruere, & ejus jus violare summe impium. *Naturale*, homicidæ enim sunt hostes generis humani, & inimici omnis societatis, nec ferendi magis, quam feræ aut latrones. *Politicum*, in Republica bonum est maximum vitæ securitas; homicidæ enim sunt pestes hostesque civitatis

in:

intestini, cum rumpant vincula & evertant fundamenta. *Evangelicum & Christianum.* Gratia Evangelica repugnat, vitis, odio, iræ, invidiæ, ex quibus fontibus hoc crimen committitur.

§. XXV. In præcepto septimo prohibetur omnis illicitus concubitus, 1. Scortatio, 2. Adulterium, 3. incestus, 4. raptus, 5. concubitus, 6. nefandum sodomitarum crimen. 7. Polygamia simultanea. 8. quivis turpes vel sermones vel gestus, 9. quicquid temperantiæ & sobrietati Christianæ repugnet. 10. Internus incontinentiæ affectus, imo illicitus adspectus. Et præscribuntur, pudicitia, castitas, modestia, temperantia, & quælibet virtutes ad veram sanctificationem mentis corporisque spectantes. Hoc præceptum est *Divinum*; ex institutione conjugii legitimi in creatione. *Naturale*, cum ipsa ratio naturalis dicat conjugii honorem inviolatum esse habendum. *Politicum*, cum vaga libido & adulterium sit origo confusionis, impietatis, & dissolutionis, & è contrario sint conjugia honores familiarum & Reipublicæ sustentacula. *Evangelicum & Christianum*, cum in Evangelio prohibeatur omnis turpitudine, & Christianis jubeatur sanctimonia.

§. XXVI. Veratur in Octavo præcepto, 1. Furtum, sacrilegium, peculatus, plagium, latrocinium, concussio, stellionatus. 2. Usura rodens & immodica. 3. Doli, fraudes & circumventiones omnes in mercibus, ponderibus &c. 4. Avaritia (omnium malorum radix), desidia & ignavia. Præscribitur 1. acquiescentia in sorte, parsimonia & frugalitas. 2. Sinceritas & justitia. 3. liberalitas in pauperes & egenos. Hoc præceptum est *Divinum*, fluit enim ex providentia sapientissima & distributione bonorum liberrima, cum Jehova sit totius mundi Rex & Dispensator. Est *Naturale*, nam ex jure naturæ haustum, *sum unicuique tribue, & quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* *Politicum*; eo enim societates ineuntur, ut tutæ sint vitæ possessionesque. *Evangelicum &*

& *Christianum*, quod jus Divinum adstringat, jus naturale confirmat, Politicum conservat, sed Evangelium urget adhuc plura argumenta ad amorem & justitiam.

Præceptum
No.
num.

§. XXVII. In hoc præcepto vetantur. 1. Falsa testimonia & omnes calumniæ, 2. iniqua judicia, 3. obprobriationes, 4. Mendacia, 5. Omnes stimulationes fraudis & malitiæ. Et præscribuntur, veritas, candor, fides, defensio famæ proximi, judicia æqua & plena charitatis, laudes proximi. Hoc *Divinum* etiam est præceptum, quia Deus ipse veritas est, prohibet omne falsum. *Naturale*; nec falli vellet homo, licet alium fallere velit. *Politicum*; mendacium enim & violatio fidei directe faciunt ad turbandas societates & tollendos contractus cunctos. *Evangelicum & Christianum*, Evangelium vero est doctrina veritatis secundum pietatem.

Præceptum
decimum.

§. XXVIII. In præcepto decimo, prohibentur omnes concupiscentiæ illicitæ; imo primo primi motus concupiscentiæ. Et hoc mandatum intervitt 1. cupiditatibus ac motibus cordis nostri refrænandis, & ut hypocritis, externæ Sanctimonix ostentatione sese venditantibus, larya detrahatur & supercilium. 2. Naturæ Legislatoris & obsequii Deo debiti, melius denotandæ. 3. Infirmitati & corruptioni nostræ amplius renudandæ. Triplex datur concupiscentiæ objectum, nempe voluptates, opes & honores; voluptates libidinem, opes avaritiam, honores ambitionem cient. Hoc præceptum est *Divinum*. Deus est Spiritus Sanctissimus & justissimus, qui non ferre potest appetitus aut amores injustos, sibi repugnantes, & deviantes a summo bono. Est *Naturale*, appetitus pravi & invidia, naturæ sunt corruptiones, & adversantes principiis virtutum; & semper in memoriam revocare debemus, *unumquemque sua sorte debere esse contentum*, & illud ARISTIDIS τὸ ἀκόρετον μὴ ἐπιθυμεῖν, justum esse! *Politicum*, officium honesti civis est attendere ad morbos animi, & animi tranquillitatem curare, quod certe facit ad rempublicam quiete conservandam. CIC. de Offi-
ci

ciis Lib. III. Evangelicum & Christianum, Euangelium docet nos effugere concupiscentias malas, ut iuste temperanter ac pie vivamus.

§. XXIX. Hisce omnibus perspectis, concludimus *Concilio* quod lex illa Divina sit *immutabilis*, jota unum aut unum *sic*. apex nequaquam prateribit ex lege, usquedum omnia facta fuerunt. *Matth. 5. vs. 18. & 19.* Est *Spiritualis*, scimus enim legem esse *Spiritualem*. *Rom. 7. vs. 14.*

Est *amplissima*, dicitur enim *Psal. 119. vs. 96.* omni perfectioni video esse finem: *latum vero esse mandatum tuum valde*, versantur enim circa Deum, omnesque ejus perfectiones, circa nos metipsos, quoad animam & corpus, imo circa omnes creaturas, tamque sunt supra, juxta, quam infra nos. Et *perfectissima doctrina Jehovæ integra est*, inquit Rex & Propheta. *Psal. 19 vs. 8.* datur perfectio partium, gradium & durationis. Est *perpetua*, quoad obligationem nostram naturalem, quoad usum agnoscendæ miseriæ nostræ, & quoad *directionem vitæ* *Matth. 5. vs. 17. & 18. & Rom. 3. vs. 21.* Est *indispensabilis*: Hæc materia, ut delicatissima prolixius paulo mihi explicanda. Est *indispensabilis*, affirmo a parte quidem *hominum*, at non a parte *summi Legislatoris*, quoniam Deus nulla *necessitate* impulsus fuerit ad productionem creaturæ rationalis, sed mera *libertate*, tamen ex Hypothesi, quædam vult necessario, & agit in iis, aut circa ea quæ vult existere, ita ut non possit aliter agere & velle. Sic posita creatura rationali, necesse est poni aliquam *legem Dei*; cui obsequi teneatur; eam enim esse, nec Deo subesse, aut Deo subesse, nec ab ipso regi, aut regi sine lege, & lege justissima, est contradictorium; nam si omnia præcepta sint dispensabilia, & tantum jure positivo nitarentur, liberum & integrum Deo fuerit ea ponere aut non ponere; imo potuit contrarium etiam præcipere sine ulla repugnantia; nam qui jus habet jubendi, idem habet prohibendi, cui enim majus competit, ei etiam minus; & si præcepta omnia sunt dif-

dispensabilia, tunc nullum datur discrimen inter legem Moralem & Ceremonialem, nec ulla major obligandi ratio, nec majus transgressionis peccatum, circa unam quam alteram. Sed hæc absurdissima est opinio; *non datur dispensatio*, quia lex Moralis, quoad substantiam idem est (quod antea probavimus) cum lege naturæ, quæ *immutabilis* est, & nihil in illis reperitur, quod non doceat ratio sana, & nihil quod non pertineat ad omnes gentes, per omnia secula, nihil quod non sit necessarium naturæ humanæ ad finem suum assequendum. Exempla quæ producuntur a quibusdam per omnia Præcepta nihil demonstrant. E. G. de *Cherubinis*, qui modo fuerunt signa sacra, & non objecta religionis. De *Serpente Aëneo*, qui fuit symbolum seu typus Christi. De *Sabbatho*, id pertinet ad *Morale positivum*, nisi cum aliis ad *Ceremoniale* quid. De *Christo* cum *jubeat odisse parentes*, cum saltem non *absolute*, sed *comparate* fit intelligendum. De *Abrahamo*, fuit *mandatum* hoc *exploratorium*, non *absolutum*: & si mactasset unigenitum, peccasset in legem de homicidio, quia instructus erat autoritate publica, nempe mandato supremi vitæ Domini. De *Mose* *Exod. 2. vs. 12.* Moses fuit *persona publica*, habens internam vocationem, clarissime ostensam, a primo marture in sua apologia. *Actor. cap. 7. vs. 23. & seqq.* conlustrari posset Exemplis *Pinehasi, Simsonis, Samuelis & Elia*, juxta viros doctissimos, non tamen ex *DIOD. SICULO. Lib. 1. De Davide* contra Goliathum *1 Sam. 17.* Non inivit duellum, dum erat in bello justo auctoritate regis, contra blasphemum, est sic non ex *vana gloria*, sed fide. Vide *vers 21, 37, 45, 47, 48.* De *Polygamia Patriarcharum*, licet non reprehensâ, an ideo à Deo approbatâ? minime! De *libello repudii* *Matt. 19. vs. 7. &c.* Fuit *permissive*, non *approbative*. De *lege Leviratus* *Deut. 25. vs. 5.* fuit *casus peculiaris* ad conservationem tribuum. De *furto Israelitarum* *Exod. 12. vs. 33--36.* secum tulerunt quidem bona & opes sed ex
aut.

authoritate Divinâ & consensu Egyptiorum. Hisce dictis concidit etiam objectio ex *Deut. 23. v. 24 & 25.* hæc & alia argumenta pro materia disputandi relinquo.

§. XXX. Lex hæc ad sui observantiam obligat omnes gentes, ex majestate, jure & imperio Dei in ipsos, illæ enim omnes in eo vivunt, moventur & sunt, ergo vel sola hac ratione sub Divinæ majestatis jugum rediguntur, gloria enim imperandi Deo T. O. M. Legislatori summo competit & gentibus omnibus obsequii gloria relicta est! vel *primo: Excellentia* ejus Divina; elucet enim in ea Divina Sapientia & Sanctitas *Deut. 4. v. 4 & 5.* nec non authoritas, cui cedere omnia hominum mandata debeant *Act. 5, 29.* *Secundo*, ejus perfectio antea demonstrata, & quæ amplius patet, si comparatur cum lege Ceremoniali, Politica, humanis legibus & dictamine conscientiæ. *Tertio* obligat conscientias, & dirigit animas, earumque actiones, hinc & *spiritualis* audit *Rom. 7. v. 14.* *Quarto*, omitto *æternitatem* jam confirmatam, unde etiam sub Euangelio *Rom. 13. v. 8. & 9.* obligat quam certissime. Hujus obedientiæ debitæ dantur etiam regulæ multifariæ. 1. Debet esse *sincera.* 2. *Universalis.* 3. *Perfecta*, recte Bernardus: *modum diligendi Deum, esse eum diligere sine modo.* 4. *Constans*, dum vita supersit. 5. *Ad homine toto.* Id est, totis viribus. 6. *Subordinata*, præcepta primæ tabulæ derogant secundæ. Reliquis omisissis regulis compendii causa. OBJECTIO, non pertinet hæc lex ad omnes gentes, dicitur enim AUDI ISRAEL. *Resp.* non leguntur hæc verba in promulgatione legis prima *Exod. 20.* nec in altera sive deutera *Deut. 5.* Licet non ignorem Ecclesiam Gallicanam in recitatione legis, semper adhibere hæc verba. *Ecoute Israel, je suis l'Eternel ton Dieu, &c.* Sed hæcce formula suam videtur habere originem ex *Deut. 6. vs. 4.* quæ verba leguntur post promulgationem legis, & nobis non convenit verbis Domini Dei nostri, quid addere, translocare, vel demere. *Prov. 30. vs. 6. Apoc. 22. vs. 18.* Si vero instet

Obligatio
ad omnes
homines.

Antinomus *Israelitis quos Deus eduxit* &c. tantum est data. Respondemus cum viris Orthodoxissimis; imo, tanquam Ecclesiam representantibus omnem totam atque integram & tunc spectat solummodo ad promulgationem honorificam, non ad obligationem absolutam, & omnimodam.

§. XXXI. Legem positivam dividimus in *Ceremonialem* & *Forensem*. Lex *Ceremonialis* definitur, quæ sacros ritus præscripsit; mysticæ significationis & præfugerantis gratiam Novi Testamenti. Et leges *Ceremoniales* sunt exercitia primæ tabulæ, quia determinant cultum Dei in prima tabula præscriptum per externas circumstantias; annotamus ad hanc legem *sanctas personas, res sanctas & actiones, loca, & tempora sacra*. Deus dedit hanc legem, primo *quoad initium* in Paradiso *Gen. 3, 15, 20. cap. 4, 3, 4. 7, cap. 8, 20. augmentum*, per institutam circumcisionem, tempora Abrahami; *complementum* in & post exitum ex *Aegypto* per Moysen *Joh. 1, 17. & cap. 8, 22*. Lex illa nomen habet ab *objecto*, cum agit de *caeremoniis & ritibus Ecclesiasticis*, in externo Dei cultu, observandis. Alii putant, ceremonias dictas fuisse, quasi *caeremonias* a *carendo*; eo quod res sunt, quibus Ecclesia minime carere possit. Alii a *caritate* dictas fuisse sentiunt, quia maxime charæ & gratæ hominibus. Alii derivant a *Cere* oppido Italiae, in quod Romani Gallici tumultus tempore sua sacra transportabant. Non sumus in opinione, quod ceremoniarum istarum observatio Israelitarum coram Deo fuit justitia. *Hebr. 10. v. 1*. Qui illis ceremoniis sensum mysticum obrogare studuerit, is deprehenditur sacris pandectis contradicere. *Gal. 3. v. 24. Coll. 2. v. 17. Hebr. 8. vs. 5, 9, 23, 24. & cap. 10. vs. 1*. Finis primus & præcipuus erat, significatio & adumbratio beneficiorum Christi *Coll. 2. vs. 17. Hebr. 8. vs. 4, 5. & cap. 10. vs. 1*. Abrogata est lex per ad ventum Christi; non quoad significationem; potest enim nos erudire de Christo: sed quoad

Legis positive
sive
divisio.

quoad usum & externam observationem. Juxta V. & N. T. loca plurima & Naturam legis.

§. XXXII. In lege *Forensi* prius videbimus definitio- *Lex Fo-*
nem; *Lex Forensis*, quæ alias *Politica* dicitur, est, *juxta rensis.*
quam Respublica Israelis pacis bellique tempore ex Dei jus-
su erat administranda. In se continebat, *primo* statuta,
de Magistratu, de conjugiiis, servis, hereditatibus, &c.
secundo, pœnas infligendas etiam legis moralis transgresso-
ribus. Leges *Forenses* esse exercitia secundæ tabulæ,
patet, quia jubent justitiam erga homines, in secunda
legis tabula præscriptam, per externas circumstantias,
exercendam. Disputemus non longe de abrogatione
legis forensis; sed finem imponeamus, toti quæstioni
regula sequenti. Quæcunque leges juris communis fue-
runt, omnes fuerunt immutabiles: quæcunque vero
juris particularis sunt, omnes fuerunt mutabiles. Per
jus commune intelligimus, quod deductum sit è com-
munibus naturæ principiis, quatenus igitur leges judi-
ciales aliquid morale contineant, eatenus sunt æternæ.
Quicquid autem in illis fuit juris particularis, id est,
quod accommodatum fuit, isti tempori, genti, & ter-
ræ; illud antiquatum & abrogatum est. Opinor versari
Orthodoxorum Sententia.

§. XXXIII. Nunc de legibus humanis agemus, tan- *Origo le-*
tum vero quo ad generaliora. Vetustissimi mortalium, *gum.*
nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque
sine pœna aut coercionibus agebant, tunc nec furta nec
rapinæ, nec ulla scelera, libidinum umbræ, neque igitur
leges, neque pœnæ illo tempore, illo saturni ævo,
notæ erant: natura recta, omnia justa & bona, dictitans,
illis temporibus jus & justitiam hominibus docebat: ne-
que præmiis opus erat, cum honesta, suoapte ingenio,
peterentur, & ibi nihil per metum vetabatur; postquam
autem exui æqualitas cepit & pro modestia ac pudore,
ambitio & vis oriebantur: proveniire tunc dominatio-
nes, multæque apud populos, in æternum mansere fer-
vitu-

virtutes, & sic comprobatum est, quod ex malis moribus nascantur bonæ leges, vel ut TACIT. 15. Ann. Usu probatum est, inquit, leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Et jam gens unaquaque in corpus redacta, sibi leges, necessitate exigente, præscribere cæpit, ne honesti & boni timeant; & ut scelerati a criminibus suis, pænarum ante oculos semper versantium terrore, absterri, probos non amplius læderent. Hinc DEMOSTHENES de leg. & earum laud. Orat. 2. non ineleganter dixit, quæ corporibus eveniunt agrotationes, medicorum industria & ope curantur, animorum vero ferocitatem propulsant, ac ejiciunt Legislatorum sententia. Leges primo, rudibus hominum adhuc animis, simplices fuerunt; Celebratissimæ fuerunt primo leges Cretensium, quas MINOS, deinde Spartanorum quas LYCURGUS, at mox Atheniensium, quas accuratiores & plures, præscripsit SOLOM Et principio V. C. regum arbitria pro legibus erant, restante JUSTINO lib. 1. & TACITO Ann. lib. 3. Cap. 26. & lege 2. ff. de Orig. Jur. at postea leges conditæ ab ipsis Regibus, quas collegit SEXTUS PAPIRIUS & appellatur JUS CIVILE PAPIRIANUM, non quod PAPIRIUS de suo quidquid adjecit; sed quod leges sine ordine latas in unum compegit. Exactis deinde Regibus A. V. C. 244. desuetudine omnes hæ leges exoleverunt, non solum, quæ ad mores regios, & regni statum pertinebant, at omnes, & si quæ in usu manserunt, ex non tanquam leges Regiæ, sed tanquam mores patriæ observabantur l. 8. ff. de his, qui sunt sui vel alieni jur. Hic oritur quæstio, an leges Regiæ desuetudine exoleverint, an vero lege Tribunitia, ut dicitur in leg. 2. §. 3. de orig. juris. at JO. SAM. BRUNQUELLUS, hist. jur. vir eruditione Clarus, annotavit hanc legem non esse trahendam ad abrogationem legum Regiarum, sed tantum ad ejectionem regum, & affirmat, doctiores id jam dudum animadvertisse pag. 35. ad quam sententiam etiam accedo. Iterum cæpit populus Romanus, incerto magis jure, & consuetudine ali., & id prope viginti annis.

nis passus est, ut dicitur in *l. 2. §. 3. de orig. juris.* Verior eorum sententia, qui putant non viginti, sed sexaginta annos intercessisse a sublatione legum Regiarum ad promulgationem Legis 12 tabularum, cujus sententia est, JO. SAM. BRUNQUELL *Hist. juris p. 34.* & ibi citantur scriptores, at id in medium relinquo. Hoc tempore a Regibus ad legem 12 tabularum paucissimæ leges sunt latæ, quæ in hoc tempore latæ, extant apud auctorem modo citatum *pag. 35.* sed cum leges hæc magis concernebant, statum publicum quam privatorum; ideo leges 12. tabularum latæ sunt, *l. 2. §. 4. ff. de O. F.* Historiam quam brevissime narrabo. A. V. C. 302. ob statum turbulentem placuit Romanis publica auctoritate mittere Legatos, nempe SP. POSTUMUM ALBUM, A. MANILIUM, P. SULPITIUM CAMERINUM, testante LIVIO *lib. 3. Cap. 31.* per quos peterentur leges, quas leges petitas in tabulas eboreas perscriptas pro Rostris proposuerunt, ut possent apertius perspicere *l. 2. §. 4. pr. de orig. jur.* scio equidem doctores non convenire inter sese, an per tres, an per decem viros leges petitas fuisse, sed arridet mihi sententiam LIVII modo citati, cum BRUNQUELLIO *pag. 36.* BYNKERHOEKII, nempe tres varios missos in Græciam, ut peterent a Græcis leges & constituti postea qui eos examinarent & in jus Romanum reciperent ordinarerentque decem viri, postquam redierant tres illi Legati Atticis legibus onusti; paulo enim post reditum horum intentius instabant Tribuni, ut tandem scribendarum legum initium fieret, & tunc placuit hos creari decemviros, sine provocatione, ne quis eo anno alius magistratus esset, LIVIUS *Cap. 32. lib. 3.* qui tunc tabulas decem composuerunt legum, ut civitas legibus fundaretur. Sed quia adhuc dum aliquid deërat, sequenti anno duas ad illas decem tabulas adjecerunt LIV. *lib. 3, 27.* & ideo leges 12. tabularum sunt nuncupatæ; Non autem solum ex legibus *Atheniensium* confectæ sunt leges 12. tabularum, sed etiam *Lacedæmoniorum*, nec non *aliorum legis-*
D 3
lato-

latorum, JO. SALOM. BRUNQUELLUS pag. 38. ubi auctores, qui versantur in hac opinione: auctor conficiendarum interpretandarumque tabularum, fuit HERMODO-
 RUS, quidam EPHESIUS, exulans in Italia l. 2. §. 4. in
 fin. ff. de O. F. in cujus memoriam statua etiam est e-
 recta. TACITUS Ann. lib. 3. Cap. 27. narrat Historiam bre-
 viter, hoc modo: Pulso Tarquinio adversus patrum factio-
 nes multa populus paravit tuenda libertatis & firmanda
 concordia: creatique sunt decemviri, & accitis, quæ usquam
 egregia, compositæ 12. tabulæ, finis æqui juris, & decemvi-
 ri sub fine anni duæ tabulæ adscribserunt, non ad concordiam,
 sed ad majores dissensiones fugiendas. Tabulæ continebant
 jus privatum, publicum & sacrum; sed ne nimis in cam-
 pum procedam, dicam solummodo, quod si alicui lu-
 beat eam legem explicatam invenire, adeat. JO. SALOM.
 BRUNQUELLUM Hist. jur. p. 41. & seqq. & ROSINUM etiam
 pag. mihi 561. & seqq. addam adhuc in laudem istius legis e-
 logium CICERONIS orat. lib. 1. Cap. 43. Fremant omnes licet,
 dicam quod sentio, bibliothecas mehercule omnium Philosopho-
 rum unus mihi videtur 12. tabularum libellus, si quis legum
 fontes & capita viderit & auctoritatis pondere, & utilita-
 tis ubertate superare. Et idem auctor lib. 2. narrat, quod,
 se puero, moris fuerit, ut juniores illas addiscerent, tan-
 quam carmen necessarium. Cum leges 12. tab. nimis bre-
 ves & obscuræ essent, accessit varia jurisperitorum inter-
 pretatio, & disputatio fori l. 2. §. 5. de O. F. ff. da-
 tæque sunt solemnes actionum formulæ l. 2. §. 6. ff. de
 O. F. nata postea plebiscita, a plebe per Tribunos scita.
 Et nimis aucto populo, Senatusconsulta facta sunt, &
 ut quisque scire posset, quod jus prætores dicturi essent,
 edicta proposita; Præterea imperio translato in Princi-
 pem a principibus, constitutiones promulgatæ & eorum
 auctoritate certi Jurisconsulti de jure consulentibus res-
 ponderunt, quæ omnia Juris Civilis Romani partem con-
 stituunt l. 7. pr. §. 1. de Just. & F. & quæ historia la-
 tius

rius legi potest l. 2. §. 1. usque ad §. 13. ff. de O. J. juncta leg. 1. ff. de Const. Princip. & §. 9. Inst. de J. N. G. & C. vid. etiam Celeb. Eck princ. D. tit. de O. Fur.

§. XXXIV. Lex latissime sumitur pro omni jure, quo *Homono-* utimur in Republica, ita ut & ipsum jus non scriptum *mya.* comprehendat l. 6. §. 1. & leg. 9. ff. de J. & J. & §. 1. Inst. de J. N. G. & C. Lata, pro omni Jure scripto leg. 1. l. 32. ff. h. t. l. 1. §. 1. ff. de off. ejus cui mand. jurisd. vel stricte, pro eâ juris specie, quam Populus Rom. Senatorio Magistratu rogante constituebat §. 4. Inst. de J. N. G. & C. Strictissime vero sumitur pro lege 12 tab. leg. 7. §. 14. in fin. ff. de pactis, l. 13. §. 3. in fin. ff. de S. P. R. juncta leg. 8. eodem; & aliis locis.

§ XXXV. Legis definitionem dedimus supra §. 4. in fin. sed *Definitio.* jam explicabimus; diximus, quod sit *commune præceptum*, quia non de singulorum, sed universis rebus: non de raro contingentibus, sed de his quæ ut plurimum eveniunt, condi solet ac debeat l. 3. ff. de ll. & leg. 10. eod. quod enim semel aut bis existit, prætereunt legislatores l. 34, 5, 6. ff. de ll. Pulchre in hanc rem M. PORCIUS CATO in oratione quam dixit pro lege Oppia apud LIVIUM lib. 34. Cap. 3. in medio, (Lectu dignissima) posuit hæc verba, *Nulla lex satis commoda omnibus est: id modo queritur, si majori parti & in summam prodest.* Hinc etiam lege 12. tab. vetita fuerunt privilegia, seu leges de privis, nisi ferrentur per maximum populi comitium. CICERO lib. 3. de ll. neque enim jura in singulas personas, sed generaliter custodienda sunt, dicitur in leg. 8. h. t. Posuimus secundo, *Virorum Prudentium, consultum*, id indicare vult, quod non temere, nec nudo soloque legislatoris arbitrio, sine pleniore justitiæ & æquitatis ac publicæ utilitatis examine, sit ferenda lex; sed adhibitis sapientia conspicuis Viris & peritis negotii, de quo jura condenda. J. VOET ad ff. tit. de ll. E. G. cum lex sit ferenda de commercio, adhiberi debeant *Mercatores*, & qui eorum præ reliquis peritiores. Tertio, *Delictorum quæ*
spon-

sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio, hæc clara sunt, sed aliquando delinquitur, quod tamen pro delicto haberi non potest, si deficiat nempe voluntas; & etiam impune esset illos punire, qui ex innocentia consilii, aut per ætatem vel amentiam vel furorem doli capaces non sunt. §. 7. & §. pen. J. de Oblig. qua ex delict. l. 53. ff. de jurtis, l. 3. §. 1. ff. de injur. leg. 12. ff. ad leg. Corn. de Sicar. Delinquitur etiam ignorantia, si aliquis sine veniâ in jus vocatus sit, ab eo, qui, ei debet reverentiam, l. 2. Cod. de in jus vocand. Vel etiam si Judex rerum judicatarum imperitus contra jus judicaverit. pr. Inst. de oblig. qua ex delict. delinquitur etiam juris & facti errore, si quis eripuerit rem alienam, tanquam suam possessori, putans sibi id leges permittere §. 1. Inst. de vi bon. rapt. quarto dicitur, communis Reipublicæ Sponsio. Quod significat aut aperta voluntate ut in Democratia, populum tacite spondere se legi subiectum fore; aut ex pacto quod initio civitatis omnes cives ineunt approbatione sua comprobare legem, ab iis factam, quibus dederant potestatem legislativam consensu omnium vel saltem majoris partis leg. 19. ff. ad municip. & de inc.

Divisio. §. XXXVI. *Legis humane seu positivæ sunt vel generales, quæ vocatur jus gentium secundarium, accommodatum nempe ad conditionem hominum, ut nunc est post lapsum, ab omnibus gentibus approbatum, ad quod pertinent, dominia, contractus, bella, servitutes &c. sed positivæ speciales, ille dicuntur, quæ populo quolibet, usu diuturno, vel certâ sanctione sunt approbatæ, uti est sub Civile Romanorum, Atheniensium, aliorumque. Leges autem positivæ eâdem ratione & modo, quo introductæ, iterum commutari possunt.*

§. XXXVII. Quia in legislatione apud Romanos inveniuntur quædam scitu digna, ideo illas Solennitates hic quam breviter narrabo; adhibebantur à Romanis decem solennitates nempe: 1. *Legis scriptio*, quod domi fiebat
a Ma

Magistratu, adhibitis viris prudentibus & necessariis, cum quibus consulebant, an lex esset e republica, & an conveniret moribus majorum; addebanturque plerumque formulæ, quod videre est apud CICERONEM *ad Atticum lib. 3. Cap. 23.* & BRISSONIUM *de form. tom. 2. p. 138. 2. Cum senatu communicatio*; quod testatur LIVIUS *lib. 1. Cap. 17.* Sine cuius auctoritate cum populo agere non licebat. 3. *Promulgatio*, publice Lex proponebatur, ut quilibet e populo eam legere, & ponderare, & sibi met consulere, an utilitas exigebat ferendi, vel antiquandi legem; spatium promulgationis erat trinundinum, & ut etiam lex legi posset a plebe rustica, quæ singulis nundinis rure in urbem confluebat, legi & ponderari posset, CICERO *pro dom. cap. 16.* addebatur edictum, ut populus se segrægaret in trinundinum proximum; eo ubi ferenda erat Lex; *locus ferendi legis* fuit: interdum *prata Flaminia*, qui postea *circulus Flaminius* nominatus est; interdum *lucus Petilinus*, quandoque *Capitolium*, plerumque autem *Forum* vel *Campus Martius*, quæ inveniuntur apud scriptores rerum Romanarum. His omnibus peractis & observatis, dicebatur magistratus, *populum jure rogasse, populusque jura scivisse.* Cum populus confluisset ad illum locum, ubi lex esset ferenda, præco primum, alta voce pronunciabat legem. 4. *Suasio & dissuasio*; qui rogaturus erat, eandem in suum favorem suadebat, quod etiam ab aliis aliquando comitabatur, nec etiam deerant qui dissuadebant, (ut vulgo dicitur *TOT CAPITA, TOT SENSUS*) LIV. *lib. 45. Cap. 21.* 5. *Sortitio*, deferebatur urna vel sitella, auditis orationibus, sacerdotibusque præsentibus & exponentibus Divina, in qua urna vel sitella centuriarum nomina conjiciebantur, deinde sortium æquilibrium facto, fiebat ipsa *Sortitio*, ut in lucem prodieret, quæ centuria, prima, quæ secunda exiisset de sitella, quæ exierat prima vel secunda sorte, ea eundem locum sibi acquirebat in ferendis suffragiis atque ordinem, LIV. *lib. 10. Cap. 22.* ubi amplius. 6. *Intercessio*, licebat si ali-

cui aliquid utilitatis sibi acquirere posset, *intercedere*, & id peragebatur a tribunis plebum, solenni illo, VETO. Liv. lib. 7. cap. 17. & lib. 27. cap. 6. & aliis locis. 7. *Rogatio*, quæ fiebat (si nihil mali ab auguribus vel ab illis, cujus erat de coelo servare, aut adversi obnunciabatur,) solenni formula *velitis jubeatis Quirites hoc ita uti dixi; ita vos quirites rogo*; CICERO pro dom. 18. & paulo post addebatur, *si vobis videtur, discedite Quirites*, hoc audito, quisque in suam discedebat centuriam vel tribum, ubi ferrentur suffragia. Cic. orat. pro Balbo pag. 1310. 8. *Suffragiorum latio*, postquam quisque suo loco positus esset, ferebantur suffragia, quod olim fiebat alta voce; at post legem tabellariam usi fuerunt *tabellis*, quarum uni insculptæ erant literæ V. R. significantes, UTI ROGAS, alteri tabellæ tantum A., quod indicabat ANTIQUAM approbare, CICERO ad Att. lib. 1. cap. 14. hæ tabellæ distribuebantur per distributores, quibus nongentes adstabant custodes, fraudisque vitandi gratia, nempe, ut tabellæ recte & sine fraude distribuerentur. Exstructi erant in campo Martio pontes centumnonagintetres, & tot erat numerus centuriarum, per quos pontes viritim esset transeundum ab iis, qui ferrent suffragia, ministrabantur hæ tabellæ in capite pontium; & unam vel alteram tabellam immittebant cistula in ponte extremo, & vocabat præco ad suffragia singulas centurias, eo ordine, quo exissent; reversi a ponte concludabantur inter cancellos. 9. *Direptio Suffragiorum*; numerabantur tabellæ utriusque generis, id est, vel notatæ V. R. vel A. a singulis custodibus, & numerus earum notabatur punctis. Et si superabant tabellæ notatæ V. R. tabellas A. lex erat *approbata*, si inverso erat, *antiquata*. 10. *Legis confirmatio*, perlata ita lex confirmabatur jurejurando; & deinde in æs incidebatur, & publice populo legenda proponebatur. Jam credo satisfacisse historiæ; qui plura cupiat, adeat HEINECCIUM *Antiq. Rom. sub. tit. de F. N. G. & C.*, & MERULAM in *lib. de ll. & ROSINUM, LIVIUM, aliosque.*

§. XXXVIII. Hisce adjungo omnia *requisita* legum, *Requisita*
 & quidem ita, ut omnibus legibus applicari possint & ex *legum.*
 quibus judicare aliquis queat, sintne leges *bonæ* nec ne; **PRI-**
MUM *requisitum* est, ut Lex sit *lata* ab eo, qui condendi
 potestatem habeat. Condi potest lex ab iis qui majesta-
 tem supremam habent, & præsent reipublicæ autho-
 ritate suprema, sive populus, sive sint optimates sive
 princeps: primario independenter ac naturaliter est pe-
 nes universum populum, secundo dependenter sive
 ex concessione aut necessitate, penes unum Principem
 vel optimates, & sic ergo in statu *Democratico* voluntas
 populi jus facit l. 32. §. 1. ff. h. t. In *Aristocratico* *opti-*
matum: in *Monarchico* voluntas principis, l. ult. in *fin.*
Cod. de ll. vid. VOET ad ff. p. 16. num. 8. ut & *Corn-*
ment. Hoppii p. 30. *secundum* *requisitum* est, ut lex sit *a-*
qua, nam lex quæ in se plane ex iniqua, nullius est mo-
 menti arg. l. 8. C. de jud. æqua enim ratio est anima
 legis, vid. Eck. ad t. D. de just. & jur. in *fin.* & ad tit.
 de ll. tb. 14. *Tertium* *requisitum* est, ut sit *honestæ*, id est,
 ut nihil præcipiat, quod necessitati morali & divinis
 præceptis adversetur. Et ne lædantur aures castæ; nam
 inhonestæ lex non est lex. l. 15. ff. de cond. inst. arg.
 l. 26. ff. de V. O. *Quartum* *requisitum* est, ut sit *justa*,
 quoad materiam; dum versetur circa bona & æqua & ut
 æqualitatem servet & inter cives æqualiter teneat, nam
 injusta lex pro lege non est habenda, AUGUST. DE CI-
 VIT. DEI lib. 19. Cap. 21. *Quintum* *requisitum* est,
 ut sit *rationalis*. Cum ratio sit anima legis leg. 77. §. 20.
 ff. de legat. 2. & l. 1, 3. ff. de re milit. conscius sum
 dici in l. 20. ff. de ll. non omnium quæ a majoribus con-
 stituta sunt, ratio reddi potest, at ideo non cogitandum,
 quod pro iis, quæ a majoribus constituta sunt, ratio
 non fuit; cum longo seculorum & temporum de-
 cursu, & injuria aut historicorum neglectu excidisse
 potuit, quæ ratio illius ferendi erat: sed adeat Lect.
 Benev. Doctissimum NOTIUM observ. lib. 1. Cap. 2. ubi

hæc lex clarissime exponitur. *SEXTUM requisitum* est; ut sit *perpetua*, id est sine termino vel tempore determinato, & ut id demonstraretur apud Romanos tabulis æneis inscribatur; exigit scilicet quam maxime perpetuitas, ut scilicet ea condatur intentione, ne unquam cessat ejus obligatio, nisi mutata hominum & temporum conditione, aut cessante in universum ratione, eandem lege vel desuetudine tolli expediat. §. *pen. inst. de N. G. & Civ. & leg. 32. §. 1. ff. h. t. ex lege 7. ff. de jurisd.* patet, quod illæ leges, quæ non perpetuæ erant (id est, quæ habebant tempus determinatum) modo in albo vel charta, vel in alia materia, quæ facilius injuria temporis perire posset, proponebantur. *SEPTIMUM* requisitum est, ut sit *possibilis*, nam impossibilium nulla obligatio. l. 185. ff. de R. J. *OCTAVUM* requisitum; quod non de raro ac fortuito, sed de sæpe contingentibus ferri debet; non præteritos. l. 4, 5, 6. ff. h. t. at futuros comprehendere debet casus leg. 7. Cod. h. t. l. 23. §. ult. Cod. mandati l. 17. Cod. de fide instr. & l. 22. ff. h. t. Regulariter ad futura, uti dictum, verum aliquando ad præterita, primo si ita expresse sancitum l. 7. Cod. h. t. §. *pen. ult. Cod. de S. S. eccl. l. 27. Cod. de usuris; secundo*, si lege nova tantum interpretatio veteris juris fiat, tertio si quid de ordine judicii, aut actionis, vel quid aliud ad substantiam rei non pertinens addatur. Quarto si justa ratio vel favor rei suadeat, & eadem sit causa præteritorum, quam futurorum. *NONUM* requisitum, ut sit *Generalis*, quod jam explicavimus ad hæc verba (in definitione legis,) *commune præceptum*. At forsitan aliquis objiciet, etiam feruntur nonnumquam LL. de raro contingentibus §. 22. inst. de rer. div. & l. 3. ff. si pars hered. Prætereunt scil. regulariter legislatores casus rariores, non quod iis debita non tribuant jura, sed de iis non solent fieri leges, instabit aliquis etiam sunt jura, quæ singularibus personis accommodantur. l. 14, 15, 16. ff. h. t. seu quæ ob singularem eamque justam cau-

causam certis ordinibus civium tribuuntur & ab omnibus generaliter debent observari: Sed hæc quæ disposita sunt de aliqua singulari persona, ut ad eam tantum pertineant, non sunt proprie leges, sed privæ ll. seu privilegia. *Decimum requisitum*, ut lex sit *manifesta* non obscura, ut dicitur in §. 7. *inst. de fideic. hered;* *magis simplicitas nobis in legibus placet, quam difficultas.* *Undecimum requisitum*, ut feratur ex *utilitate* subditorum; hinc eleganter Cicero *lib. 3. SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO.* *Duodecimum requisitum*, ut sit *promulgata.* Quod facit ad differentiam specificam legis a consuetudine, TREUTL. *disp. 1. de J. & J. thesi. 5. lit. 6.* Opus enim est promulgatione, & ut voluntas legislatoris manifesta fiat & ut ab omnibus intelligatur: cur enim culparemus eos qui ignorant constitutiones, ut est in *N. 66. c. 1. addatur leg. 9. Cod. h. t.* & JUSTINIANUS etiam disertis verbis publicationem fieri iussit *Nov. 2, 39, 48. & in Nov. 66. in Epitol.* Versor autem in opinione, quod lex quam cito promulgata sit, statim obliget subditos *Leg. pen in fin. Cod. de decur. & leg. 9. Cod. h. t.* Non post certum tempus, nisi certum tempus nominatim lege comprehensum sit, ex quo demum vim obligandi habeat: *Nov. 116. Cap. 1.* Sed & post promulgationem, tamen tanto tempore indulto, per quod facile ad omnes pervinere potuit, quod etiam ab arbitrio legislatoris dependeat. *Nov. 66. Cap. 1. & leg. pen. in fin. Cod. de decurion.* aliquis vero ignorantiam legis Municipalis probans, audiendus est, *leg. ult. ff. de decret. ab ord. fact.*

§. XXXIX. Promulgatæ legis effectus est, obligare ci-
 ves, & incolas in territorio legislatoris degentes *l. ult. ff. de jurisd. l. 7. §. 10. ff. de Interd. & relig. l. 3. & l. 13 ff. de Officio Pras. sive plebejos, sive nobiles, sive privatos, sive publicos, porro omnes l. 10. Cod. h. t. ad sui observantiam leg. 10. eodem.* Etiam obligat in conscientia, nam Jus naturæ, præcepit obedire magistratui, & etiam suis præceptis, leges enim a magistratu latæ

Effectus.

non videntur sancita hominum, sed ipsius Dei, utpote qui magistratum vice sua esse jubet, *Rom. 13.* non ideo concludendum, quod magistratus habet vim in conscientiam; nam magistratus, vi propria non confringit conscientiam, sed quia Deus nobis injungit obedientiam magistratui, ejusque mandatis. V. ad *Rom. 13. vs. 1.* & *1 Petr. 2. vs. 13.* & *seqq.* & Eck ad *l. 1. p. de LL. lib. 9.* & Huber. *de jur. Civ. L. III. c. 3.* Si quid contra legem fiat, obligat ad poenam, ut ait *JC. leg. 7. ff. h. t.* Queritur hic an quodcunque contra legem sit, sit ipso jure nullum, sine exceptione? quod contra legem sit, ipso jure esse nullum, sentimus; nam si quis, lege non observata, id est, tam contra verba quam mentem (*l. 29. & 30. ff. h. t. & leg. 5. Cod. h. t. & leg. 3. §. 3. & leg. 7. ff. de Senat. cons. Maced*) aliquid egerit vel fecerit, ipso jure, actum esse nullum, & ita quidem ut ne opus rescissione vel exceptione ad illud infirmandum *d. l. 5. & §. 12. inst. de nupt. l. 1. ff. de injust. rupt. test. leg. 12. Cod. de testib.* Doctissimus VOETIUS ad *ff. pag. 18.* etiam consentit, quod quodcunque contra leges gestum sit, ipso jure nullum, sed id fallere multis modis, etiam demonstrat, regulis ac exemplis; at illas exceptiones omnes enumerare non vacat: adeat L. B. AUCTOREM & VINNIUM *Quest. Select. lib. 1. Cap. 1.* qui de hac materia preclare scripserunt. Secundum nostram sententiam scriptura legis ad essentiam non pertinet, & requiritur nullibi: nam sola voluntas Principis legem facit *leg. 1. pr. ff. de const. Princip.* Et judicium populi *leg. 32. ff. de ll.* Videatur porro SAM. DE COCCEJUS. *Fur. Contr. p. 39.* Sed scriptura tantum est causa legis efficiens instrumentalis, qua utimur ut facilius promulgatur, & in cognitione hominum perveniat, & fidelius memoria retineatur, ac denique ejus sententia manifestius haberi & explicari posset, *l. 32. §. 1. ff. de ll.* etsi ut leges magis sint conspicuae & immutabiles, legis scripturam magis suadeat *l. 2. §. 4. ff. de O. I.*

§. XL. Jam de legis *virtute* agendum: dicitur in *leg. Virtus*
 7. ff. h. t. quod *virtus legis est imperare, vetare, permitte-* *legis.*
re, punire. Lex imperat utilia, vetat contraria, illa præ-
 fertim, quæ ut plurimum accidunt, non quæ ex inopi-
 nato l. 3. h. t. & *Celsus leg. 4, & h. t.* & videatur *Nov.*
Leonis in Proëm. Vetat, leg. 10. Cod. h. t. at semper
 potentior lex est, *quæ vetat, quam quæ permittit*, dixit
Quintilian. declam. 354. Permittit, atque hoc est nihil
 agere; *SENECA lib. 3. cap. 21. de benef.* Quædam sunt,
 quæ leges nec jubent, nec vetant. Hæc tamen pertinet
 ad legem, quatenus demit pœnam: si indulget aliquid
 majoris mali evitandi gratia, quod observat *ULPIANUS*
 in l. 3. §. 1. ff. *de concubin.* Et id etiam observatum
 est in legibus Mosaicis cum polygamia Judæis permiffa
 fuit, non ut bonum, sed propter duritiam cordis, *Deut.*
24. Matth. 19. v. 7. Sic etiam Judæis permiffum fuit,
 dimittere uxores, dato libello repudii; certe majoris
 mali evitandi gratia, nempe ne illas darent sopori æter-
 no, vel alio mortis generi. *Punit. leg. 10. Cod. h. t.*
 nempe ne lex contemptui pateat, non munita terrore
 adversus transgressores & feroces, communem utilita-
 tem post privatam ponentes; huc pertinet *SANCTIO*;
 pars legis certam pœnam irrogans iis, qui non obtem-
 peraverint ejus præceptis l. 4. ff. *de pœnis.* Constat, ta-
 men leges fuisse sanctione carentes, & eas quæ non pu-
 niunt, aut non rescindunt actum contra leges factum,
 ex eo vocari solitas *leges Imperfectas*, quod ex *LIVIO*,
 aliisque Rom. scriptoribus notum. Alii adhuc addunt.
Suadere; verum est, multa suasionum extare loca; sed
suadere proprie virtutem legis esse, mihi non liquet, quia
 propriè vim obligandi non habet, cum relinquitur ar-
 bitrio, absque necessitate præstandi; non enim officii
 legis est, cives ornare virtute, & sapientia; sed tan-
 tum cavere vi atque imperio, quoad publicam quietem
 adversus illorum Stultitiam, vel improbitatem. Lex
 etiam præmia distribuit *leg. 1. §. 1. ff. de F. & Jure.*
 Sive

Sive delicta remittit, *l. 22. ff. h. t. & leg. 5. §. ult. ff. de re mil.*

Interpre-
tatio le-
gis.

§. XLI. Legem interpretantur Legislator vel consuetudo, iudex seu Magistratus, vel Jurisconsulti; sed si egrediatur mentem legis latæ, solius est Principis *l. 1. l. 9. l. ult. Cod. h. t. Nov. 143. cum optimus verborum suorum quisque est interpret. quo etiam respicit, quod scriptum est, uti leges condere, ita & easdem interpretari, solo imperio dignum esse. VOET ad ff. h. t. addatur VINNIUM quest. lib. 1. Cap. 2. Ut iudices & JCTi possint implere interpretandi partes, ratio & juris auctoritas vult; Ut plus æquitati tribuatur quam rigori stricti juris; ut sequantur in re dubia sententiam benigniorem; ut serviantur verbis, quantum possit; ut explicentur secundum communem usum loquendi & id cum effectu, ne de e-
jus vi aliquid pereat; ut interpretatione potius juvent legem æquam & utilem, quam restringant, & ne producatur ad consequentias, cavendum, quod contra rationem juris receptum sit: ne extendant facile constitutiones pænales, & ut prudenter Legislatoris voluntatem extendant & producant in casibus similibus, semper inquirendam esse animam & rationem legis. *Vid. Eck ad tit. Antinomia legis non temere admitti debet; Sed præstat subtili animo diversitatis rationem discutere, qua fieri potest prudentia; esse potest enim novum inventum, vel occulte positum, quod dissonantiæ querelam dissolvit l. 2. §. 15. de vet. jur. Enucl. multum diversitati temporum, multum justæ interpretationi dandum esse credo.**

§. XLII. Differunt ut in multis aliis, ita in eo quoque lex naturalis, & divina moralis a legibus Civilibus, quod illæ immutabiles, ut supra dixi, hæ variis modis mutari possunt, & quidem primo leges antiquantur, quod indicare vult, *leges nondum perlatas fuisse, seu solummodo rogatas sed rejectas, quod populi suffragio non erant comprobata. Derogantur, cum pars primæ legi detrahitur l. 102. ff. de V. S. Subrogantur legibus, cum quid pri-*

primæ legi adjicitur. *Obrogantur* cum mutatur aliquid ex prima lege Ulp. *tit. 1. Abrogari*, dicitur ea lex, quæ per latam posteriorem in univèrsam tollitur. *leg. 102. ff. de V. S.* quæ omnia locum reperiunt in legibus condendis quoties publicum commodum, & major reipublicæ utilitas suadet novam legem, ut evitetur incommodum veteris legis, A. GELL. *noct. att. lib. 20. cap. 1.* Sed tali utilitate non apparente, non recedendum a jure constituto, quod diu æquum visum *l. 2. ff. de const. princ. & leg. 7. ff. de integr. restit.* Lex prior per legem posteriorem potest *abrogari*; nec unum quodque eodem modo solvitur quo colligatum est, *leg. 35. ff. & 100. & 153. ff. de R. J.* Aut per consuetudinem, cum nihil interest, an populus *suffragio* suam voluntatem declarat, an vero *rebus ipsis & factis*; & receptum fuit, ut leges non solum suffragio Legislatoris; sed etiam consensu omnium per desuetudinem tollerentur aut mutarentur. *§. pen. ult. inst. de J. N. G. & C. & leg. 32. §. 1. in fin. ff. h. t.* invenitur non infrequens clausula in legibus præcipue municipalibus, *non obstante consuetudine* quæ secundum VOETII *ad ff. sententiam*, de præteritis & non de futuris consuetudinibus est intelligenda, quod rectissime vir ille præstantissimus exposuit, cum leges non semper maneant pari utilitate commendabiles, qua primitus fuerunt introductæ, *cum tempora mutantur & nos mutamur in illis*: & uti dicitur in *leg. 32. ff. de donat. int. vir. & uxor. voluntas hominum est ambulatoria ad supremum vite halitum.* BUCARANUS *indial. de jure apud scottos*, bene dixit. *Negotiorum varietas non patitur ullam legem ferri, perpetuam, constantem, & quæ apud omnes homines, idem valeat, soluta fati necessitate.* Et absolum foret velle cavere legibus, ne in melius ea sive legibus novis sive consuetudinibus commendatis a recta ratione, reformetur. ZOES. *ad ff. h. t.*

§. XLIII. A solo Principe, seu Legislatore fit dispensa. *Dispen-*
tio, J. VOETIUS *ad ff. p. 28.* sed dispensando nihil lax *satio.*
 atur unquam de jure Divino morali, quod tantum, uti
 F jam

jam in legibus Divinis probatum est, summo legislatori nempe Deo competat dispensandi facultas.

De principe legibus soluto. §. IV. Consilium inivi nobilissimam quoque materiam de Principe legibus soluto paucis pertractare, dicitur in *leg. 31. ff. de ll. principem legibus esse solutum*, sed hæc justa lance sunt pensitanda & proponenda: non enim Princeps omnibus legibus est solutus; videbimus quibus sit obstrictus, primo Legibus Divinis, quia subjectus Deo, & sine respectu personarum dicitur *Gal. 3. v. 10. maledictus omnis qui non manet in libro legis, faciendi gratia*: Secundo, Naturalibus, quia conveniunt quoad substantiam cum lege morali; tertio, fundamentalibus, quia jurat se illas servaturum, & non tantum Princeps tenetur naturaliter, sed & civiliter ex contractibus, cum civibus initis, cum contractus constat proportionem arithmetica nec considerat, an contrahens sit Rex, vel subditus, dives vel pauper, sed vult omnes contrahentes æqualiter obligari, & ideo non debent claudicare contractus *l. 19. ff. de v. s. & leg. 5. ff. de resc. vend.* quarto civilibus, sed quoad obedientiam, non quoad panam, sed obstrictus secundum æquitatem naturalem, & non solutus in foro Poli, sed in foro soli, & non solutus quoad spontaneam subjectionem, sed quoad coactionem. Videatur latius de hac quæstione *Celeb. NOTIUS de jure summ. Imp. lib. 1. cap. 3. & 4. Bodinus de Republ. lib. 1. cap. 8. & 10. FACHINEUS controvers. lib. 1. cap. 2. CUCIUS obs. lib. 15. cap. 30. & lib. 26. cap. 35.* At quam maxime affirmo Principem solennitatibus esse solutum, sive ipso suo nomine, sive alius cum vel coram eo quid agat, *leg. Sancimus 34. §. 1. & Auth. Cod. de donat. Nov. 52. cap. 2. leg. omnium Cod. de test.*

An legatus vel studiosus sit solutus. XLV. Hic moveri debeat quæstio, an legati, obedire debeant legibus istius regionis, in qua morantur legationis causa, id non videtur, cum legati repræsentant mittentes, & ideo ex sua persona non sunt considerandi, & credo fictione juris illos debere haberi pro absentibus, &

& extra territorium positis, si tamen quid impune agant, vel contumeliose, tunc querela mittitur ad mittentes, & possunt juberi finibus excedere GROTIUS *de F. & B. & pacis lib. 2. c. 18. n. 4.* At inde concludi non debet, quod illi qui apud nos ex sua urbe mittuntur ad Collegia universalia Ordinum Generalium, vel similia liberi sunt a legibus istius regionis in qua degunt legationis causa J. VOET *ad ff. pag. 17. num. 12.* An studiosi, qui morantur in alia regione studiorum gratia, sunt liberati a legibus istius regionis? non affirmo, quia pro eo tempore quo morantur domicilium ibi habent, & pro incolis habentur J. VOET *ad ff. p. 17. num. 13.* & morantur ibi lucri faciendi gratia, nempe ornandi animam virtute & sapientia; sed quid opus longa probatione, an ne quotidiana experientia docet illos legibus solutos non esse Q. E. D. In controversiarum aliarum Oceanum me non immittere, sed vela contrahere constitui, cum jam videam me egressum limites disputationis consueveros. Brevitati quantum potui, studui, ne sim tædiosus lectori, & ut illum liberem a nauseosa prolixitate & lectione multorum quæ fatigatio est carni *Eccl. 12. v. 12.* Negari non potest de hac materia jam multa in lucem produsse, per difficile enim est invenire materiam, non illustratam disputationibus aliorum, & si forte aliquam non explicatam invenissem, eam tamen mihi excutiendam committere non ausus fuisset, cum ingenii dotes adhuc sunt tenues & curta suppellex, ne dicam, res angusta domi. Neque L. B. versatur in ea opinione, ut spero, me animum adscribendum adpulisse, ostentandæ doctrinæ vel eruditionis gratia, sed solummodo ut consuetudini Academicæ satisfacerem, cum moris sit dare specimen de tuorum studiorum primitiis, petiturus gradum doctoralem & eam ob rationem elaboranda fuit materia, in qua pro viribus occupatus fuit, fateor itaque perlubens quæ hisce continentur pagellis, mea quidem esse, me multum tamen debere labori & industriæ virorum præstantissimi.

risimorum; licet enim imitari apes, quæ vagantur & flores carpunt, assentiente PLINIO *lib. 1. Cap. 6.* & LUCRETIO *lib. 3.*

*Floribus ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta
Aurea, perpetua semper dignissima vita.*

Equidem mihi conscius sum, hanc materiam uti ejus dignitas & gravitas postulat me non pertractasse; sed quatenus humeri ferre potuerunt; si autem quid per imprudentiam exciderit, æqui bonique consulatur; nam omnium habere memoriam & penitus in nullo errare Divinitatis magis, quam humanitatis sit, *l. 2. §. 14. Cod. de vet. jur. Enucl.* Erit forte quidem, quod emendari, vel mutari vel detrahi vel addi posset, verum *in magnis voluisse sat est.* Porro, dum hoc me præstitisse existimem, D. T. O. T. M. pro clementissima sua adfidentia & sublevamine submissimas persolvo grates; utque & in posterum me meaque studia protectioni suæ velit habere commendata, humillime rogo; & tandem cum hoc versiculo finem imponere constituo:

*Initio scripti Deus favit, itaque nunc sit
Finito hoc scripto gloria sola Deo!*

F I N I S.

Consciens sum quædam vitia typographica irrepsisse, at L. B. humillime rogatur ut ea corrigere velit.

T H E S E S.

I.

Tutor præstat culpam levem.

II.

Bonæ fidei possessor, omnes fructus irrevocabiliter facit suos.

III.

Optimum imperium est, quod genio subditorum maxime est accommodatum.

IV.

Venditor præcise tenetur rem venditam tradere.

V.

Consensus facit nuptias non concubitus.

ΠΡΟΣΠΕΜΠΤΙΚΟΝ

AD NOBILISSIMUM JUVENEM

JOANNEM DE FEYFER,

CUM

Factorum numero adscriptus Academia valediceret.

Siccine Tu lectos, nunquam rediturus, amicos
Deferis, o Patriæ gloria magna Tuæ?
Nullane Te tetigisse pii bona verba sodalis?
Nulla moram certæ neçtere posse viæ?
Tene hæc non teneant, Batavos ornantia campos,
Moenia, nunc studiis moenia sacra Tuis?
Quæ memini celsam coelo tollentia turrim
Sæpius exemplo nos monuisse suo,
Quam bene sit, sancti si jura colantur amoris,
Quam male sit mentes dissoluisse pias
Sive detur flavas cursum volventis arenas
Fluminis innuptum, Rhene, videre Tuum;
Seu tacita blandos attendam mente susurros,
Delecterque hortis, Vechta superbe, tuis
Ast ego si junctos fluvium contemplor utrumque,
Quum sociis malunt curribus ambo vehi
Sæpius exclamo: Vere o Divina propago!
Mente pia cunctis gratia digna coli!
Oppida cum lætis celebret Germania campis,
Jactet ea ad Rheni flumina structa sui;
Vechta, licet, placidis securus lude sub umbris,
Et cane cum pagis grata vireta tuis.

Heic

Heic video ad duplices adsurgere moenia rivos
Cunâis, Rhene, tuis anteferenda locis
Illa docent situque suo pictisque tabellis,
Parva ut concordî crescere pace queant.
Tam bene commonitas jungens concordia mentes,
Corpora distinctas non sivit esse duas
Nam Tua mens quoque nostra fuit, mea vestra manebit,
Mutua dum Musæ commoda ferre velint.
Divina & legum dum disciplina Tuarum
Unita possint utraque mente coli.
Nec sinat infensos pietati elabier hostes,
Aut quos condemnant Belgica sacra reos.
Ast ego quid vana loquor? nunquamque futura
Auguror? & tremulo conqueror ista sono?
Prætexat speciem simulata calunnia juris,
Et detestando verba retorta modo:
Non ea culpa tua est, Juris sanctissima Vindex,
Sic sacra, sic leges, justitiamque premi,
Sacra facit tutus fraternis legibus Aron,
Et madidam jussu sanguine tingit humum.
Tu mihi sis rara clarus virtute Moijfes
Sic ego, Jane, Tibi fidus Aaron ero.
Sic quamvis varias sparsi mittamur in oras,
Magna manes animæ pars tamen usque meæ.
Sed quoniam ire paras, atque est Tibi certa voluntas,
Ad mage dilectos, Docte, redire focos.
Hæc habeas nostræ fidissima pignora mentis,
Atque simul voti signa futura mei.
Alite Tu dextro, tu fatis utere amicis,
Succedant precibus prospera quæque Tuis.
Te grayium celebret rerum curam Horna gerentem,
Aut jactet laudes India tosta Tuas.
Te precor ostentent per plurima sæcla patronum,
Quæ Te cunque vocent, Curia, sacra, forum
Sic multis felix merito reputabor, amicum
Tempore me tanto Te coluisse: Vale!

D. van der KEMP. S. S. Theol. Stud.

KLINK-

K L I N K D I C H T,

Aan den HEERE

JOHANNES DE FEYFER,

*Toen zyn Ed. na gehouden Redenstryt over de Godde-
lyke en Menschelyke Wetten tot Meester der bei-
de Regten werdt ingehuldigt.*

Myn Zangster juicht, daar ze U, geëerde Landgenoot,
De heugelyke vrugt ziet van uw arbeid plukken:
Zoo moet de bleeke nyt, en vale wangunst bukken;
Gy Triumpheert, van Lof, nog Lauweren ontbloomt.

Geleerdheit, die u heeft gekoestert in haar schoot,
Wil op uw schedel tans een dubblen Eerkroon drukken;
Nu zy van uwe vlyt moog zien de schoone stukken
Waar door gy de eer en glans van 't Stichts Atheen vergroot.

Het onrecht schrikt en beeft, nu gy zoo klaar de wetten
Van God en menschen durft in 't helder daglicht zetten,
Verdrukte onnozelheit waecht op uw hulp en raat.

Gelukt myn wensch: zoo leeft ge omstuwt van allen zegen!
Zoo drukke U nimmer kruis! Gods gunst zy op uw wegen!
Geniet hier, & hier na een zalige Eerestaat!

KORNELIS VAN DAM.

S. S. Th. Stud.